


XL
CARPZ
in. N. T.
Locū de
Asino &c.

1672












XL

CARPZ. in
N.T. Locul de
Arino &c.



בש׳ הקבה

# PHILOLOGEMA SACRUM
*DE*
# ASINO MESSIÆ, CHRISTI IN URBEM JEROSOLYMAM VECTORE.

*ex*


PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS
*Viri Pl. Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi*
DN. JOHANNIS BENEDICTI CARPZOVII,
S. S. Theol. Lic. ad D. Thomæ Ecclesiastæ fidelissimi, nec non S. Linguæ in hâc Academiâ Prof. Publ. celeberrimi,
*Domini, Patroni, Præceptoris ac Fautoris sui ætatèm suspiciendi,*
pridem excerptum,
*Nunc*
SUB EJUSDEM PRÆSIDIO
solenniter ventilandum
*P. P.*



JOHANNES Lütke / Thoruniensis Prussus.
*ad d. XIIX. April. A. C. M. DC. LXXI.*
horis consvetis in Auditorio Colleg. Maj. Principum.

---

*LIPSIÆ,*
Apud Hæredes FRIDERICI LANCKISII.
Typis JOHANNIS ERICI HAHNII.





*Præstantißimo Doctißimoq; Juveni,*

# Dn. JOHANNI Lütke/ Thoruniensi Prusso,

Amico & Respondenti meo
gratulabundus
*S. D.*

JO. BENEDICTUS CARPZOV,
Ling. Sanct. Prof. Publ.

CUm mihi superioribus diebus Philologema hoc offerres, rogaresq; uti sub præsidio meo, Te Respondente, paterer Academico more ventilari, agnovi eqvidem meum, & abhinc ferè biennio pro lectione publicâ traditum recordabar; anceps tamen hærebam, num consentire liceret in petitum? tùm qvòd eam in proponendo diligentiam adhibuerim, qvæ Auditoribus qvidem meis sufficiebat, at non Lectoribus satisfaceret promiscuè omnibus, qvorum oculis sic typis exscriptum subjiceretur, tùm qvòd verebar, ne ægrè ferrent, qvi hæc & alia id genus unà tecum ab ore meo exceperant, si publico dari sibi qvasi vindicata, seq; adeò suâ diligentiâ defraudari viderent. Nihil enim abs me hoc animo solet Auditoribus proponi, ut typographi operá cum pluribus olim communicetur, sed qvæ semel prolata aut ad calamum dictata sunt, ipsis illis, qvi scribendi labore defungi voluerunt, mancipata & propria reputo, unde fit, ut non tantùm nostræ etiam Camoenæ alterna ament, atq; nunc in explicandis præceptis Grammaticis, nunc vocibus Biblicis resolvendis, jam in enuclean-

cleandâ Spiritus Sancti phraseologiâ, jam Concordantiarum, qvas vocant, Hebraicarum usu monstrando, pro captu discentium occupentur, interdū verò ad excitandum veluti appetitum hujusmodi bellaria & cupedias apponant, verùm & in tradendis iis varietate aliqvâ delectemur, & nobis saltem in memoriæ subsidium autorum, ad qvorum lectionem nostros invitamus, nominibus & locis annotatis, ex ore sæpiùs qvàm chartâ scribere jubeamus. Sic, qvæ calamo excipiuntur, non mea sunt, sed scribentium. Cæterùm, dum hæc ita recolo, eò minùs intelligo Tibi laudabile institutum negari posse, qvò majùs in hoc qvalecunqve schediasma jus acqvisivisti, tuâqve Tibi diligentiâ vindicasti Tuum & proprium. Commilitones verò, tantum abesse credo, ut Tibi irascantur, uti potiùs hoc Tuæ industriæ exemplum intuiti, occasionem prehensuri sint, si non paria, haud tamen prorsum disparia tecum faciendi, nempè si proprias qvoqve vires in conscribendis pariter & defendendis id genus meletematis tentaverint. Qvorum ego conatibus, cùm meæ id Professionis sit, consiliis, & commodatione librorum, & cæteris, qvibus opus fuerit, adminiculis semper adero. Tu interim, Doctissime Lütkeni, macte hâc industriæ Tuæ laude, & qvod exhibuisti diligentiæ specimen, pari eruditione defende: ita Tibi jam utramqve, atqve olim utriusqve fructus ex animo gratulabimur. Vale. Scribebam in Museo Lipsiæ, ipsâ Dominicâ Palmarum, A. R. S. M DC LXXI.

PHILO-

# PHILOLOGEMA SACRUM
de
# ASINO MESSIÆ, CHRISTI IN URBEM JEROSOLYMAM VECTORE.

## Summarium.

POst indicatum ſcopum & rationem dicendorum tria expediuntur: §. 1.

I. Vaticinium *Zach. IX*, 9. è qvo de duobus qværitur,

(1.) de *Meſſiâ*, an ſit *Vaticinii ſubjectum*, adeoq́ᵹ aſino adventurus promittatur? qvod ex ſententiâ Rabbinorum

(α.) *Ventilatur*, ubi ſententiæ

*R. Moſis haccohen*, & *R. Aben Eſra* §. 2.

*R. Iſaac. Abarbanelis* §. 3.

*R. Salom. Jarchii, R. Dav. Kimchii, R. Sal. Aben Melechi*, & denuò *R. Abarbanelis*, uti & Judaizantis *Grotii* §. 4.

*Talmudiſtarum* è Gemarâ §. 5.

Veterum Rabbinorum ex *Rabbot* §. 6.

*R. Lipmanni*, Sycophantæ §. 7. 8.

Anonymi Autoris *Nizzachon Munſteriani* §. 9.

*Baal hatturim* §. 10.

(β.) affirmatum *conciliatur* cum alio vaticinio *Dan. VII*, 13. qvod Meſſiam in cœli nubibus venturum prædicere, contra *R. Aben Eſram* pleriq́ᵹ, & nominatim *R. Abarbanel*, conſentiunt. §. 11.

ubi tres conciliandi rationes;

Prima *Talmudiſtarum*, â dignitate vel indignitate Judæorum §. 12.

Secunda *Plebejorum Rabbinorum*, à duplici Meſſiâ, *ben-David* & *ben-Joſeph* §. 13.

qvæ parabolicè à *primis auctoribus* intellecta, à *modernis Rabbinis* pervertitur, & eadem eſt cum

Tertiâ *R. Sahadia Gaon*, â duplici Meſſiæ ſtatu, ſi qvidem hic ſenſit, qvod verba loqvuntur §. 14.

(2.) de *Aſino*, qvalem fore dicant Judæi, cui Meſſias olim inſeſſurus prædicitur? Is, præmiſſâ *Saporis Regis* ironiâ §. 15. deſcribitur

§. 1. Qvan-

§. 1.



Vanqvam Asinum Aldrovandus *lib. I. de Qvadrup. c. 2. fol. 140.* animal *vel solo nomine nobis invisum* vocat; ut tamen idem prolixam ejus considerationem non modò suscepit, sed & utilissimum nec minus eqvo necessarium commendat, non secus ac Jonstonus *lib. 1. Hist. Nat. de Qvadrup. c. 2. fol. 23.* cùm & is Aldrovandi exemplo de Asino acturus esset, *despectum qvidem, sed non minùs utile jumentum* laudabat: Sic neq; nos in præsenti Asini aversabimur contemplationem, non qvalem post Gesnerum uterq; horum, eosq; imitatus Gasp. Schottus *lib. IIX. Phys. curios. c. VII. p. 797. seqq.* jam perseqvuti sunt, nec ut ingenii solùm exercendi & temporis fallendi ergo nugas agamus, illius fortè texendo laudes, qvas conqvisitis undecunq; argumentis *Henr. Corn. Agrippa* & *Jo. Passeratius* collegerunt, dum encomium Asini uterq; non infeliciter scripsit, qvale & in *Cipoli Monachi in Asinum Ponocraterem oratione funebri* habetur, qvam *Gulielmus Canterius* Latinè interpretatus est, & carmine Heroico reddidit *Jacob. Lyndius ab Hænsted*, qvæ omnia junctim cum id genus aliis ad laudem Asini facientibus Caspar Dornavius *Tom. 1. Amphitheatr fol. 493. seqq.* recensuit; Nec ut *Lucianum Samosatenum* imitemur, cujus non ingeniosa minus, qvàm jocosa de Asino narratio, in qvem se in Thessaliam profectum discendæ artis magicæ studio, cùm artis periculum faceret, mutatum, & inde variam fortunæ vicissitudinem, donec in pristinam hominis figuram rediret, expertum fingit, qvæ *Tomo III. Operum illius à p. 338. edit. Basil. Græco-latin.* continetur, totius vitæ humanæ speciem atq; imaginem perqvàm sanè eleganter depingit, sicuti hanc Luciani fabulam posteà *Apulejus Madaurensis Platonicus XI. libris Metamorphoseon*, qvos *lusum Asini* inscripsit ( à *pag. 102.* edit. Geverhart. Elmenhorstii) affictis compluribus aliis ad hoc argumentum spectantibus imitatus est, qvorum pleraq; *Fulgentius*, is qvi & in cæteras Poetarum fabulas mythologias scripsit, mythologicè exposuit; nec tandem, ut ab Asino Satyram scribendi materiem mutuemur, qvalem *Anonymus* qvidam, qvem *Danielem Heinsium* esse non immeritò suspicamur, *Lugduni Batavorum Anno 1623.* sub titulo: *Laudis Asini* Senatui Populoq; eorum, qvi ignari omnium scientias & literas hoc tempore contemnunt,

Varia variorum scripta de Asino.

temnunt, festivè inscripsit; Sed illum intuebimur Asinum, qvem & Messiæ vectorem & portatorem Propheta prædixit *Zach. IX, 9.* verbis ab Evangelista in N. Testamento repetitis, cùm ipsum nobis Asinũ ostenderet, & complementum vaticinii describeret *Matth. XXI, 2. seqq.* Id qvod suâ non cariturum utilitate speramus, ne qvis nobis Beustianum illud objiciat puerulis tritum:

Scopus & ratio dicendorum.

*Qvid spectas Asinum? Cœlestem suspice Regem,*
*Et Servatori dic Hosianna tuo.*

Nam ea è scriptis potissimum Judaicis congeremus, qvæ cum jucunditate prosunt, atq; tùm ad convincendam Judæorum pertinaciam, tùm illustrandum Scripturæ textum aliqvid conducunt. Qvod qvidem argumentum etsi jam occupavit Vir in his literis ad miraculum exercitatus Samuel Bochardus *Part. 1. lib. II. Hierozoic. toto c. XVII. fol. 208. seqq.* supererit tamen nobis post divitem adeò messem spicilegium aliqvod, vel ideò non intermittendum, qvòd paucissimis Auditorum nostrorum copia concedatur pretiosi illius operis, cujus interim ne sibi metuant, nos fortè vitulâ araturos, cùm aliunde satis suppetat, qvod dicamus.

Sententiæ Rabbinorũ de *subjecto* vaticinii *Zach. IX, 9.*

§. 2. Initiò autem tenendum est, non deesse inter Judæos, qvi Zachariæ Prophetiam malint de qvovis alio, qvàm de Messiâ interpretari, ne pauperem vehendumq; Asino Messiam, sed omnibus numeris divitem & gloriosum expectare videantur, aut palmam dare cogantur Christianis ad complementum vaticinii in Jesu Christo Nazareno, vero atq; unico Messiâ provocantibus. Hinc R. Moses Haccohen de *Nehemiâ*, R. Aben Esra verò de *Juda Hasmonæo* exponit; qvorum hic illius sententiam longè qvidem meliorem aliorum opinione æstimat, qvi Regem Messiam qvalemcunq; demum intelligendum putent, mox tamen ipsam qvoq; improbat, & suam in ejus locum substituit. Verba Rabbini adducere, cùm utriusq; sententiam describant, operæ pretium erit, ex *Comm. h. l. fol. DCLIV. col. 1.* רבי

R. Mosen de *Nehemiâ* exponentem refutat R. Aben Esra.

משה הכהן אמר כי הוא נחמיה וכתוב בעזרא עליו מלך
ביהודה על כן אמר עני ורוכב על חמור כי אם הבהמה
לא הזכיר סוס מבלי יכולת כי עני הוא ולא דבר נכונה כי
פחה היה ולא בקש לחם הפחה מישראל ובכל יום יאכלו
רבים על שולחנו ואיך לא היה לו סוס ועוד מה
טעם על בניך יון ובזמן נחמיה לא משלו יונים
על

על ירושלם ולפי דעתי כי זה המלך יהודה בן חשמונאי שהיה גבור ככתוב ושמתיך כחרב גבור וידו גברה על היונים ובתחלתו לא היה לו לא עושר ולא סוסים:
*R. Moſes Haccohen ait, hunc eſſe Nehemiam qvippe de qvo in Eſra* (Nehem. VI, 7.) *ſcriptum eſt, REX IN JUDA: Hic ideò vocatur pauper & inſidens Aſino, qvia tantùm jumenti, non Eqvi, ibidem meminit Scriptura ob inopiam, qvòd pauper eſſet. Qvanqvam id non videtur veriſimile, ſiqvidem* Dux *& Princeps erat; Princeps autem non qværit panem ab Iſraelitis, ſed plurimi potius de ejus menſâ qvotidie veſcuntur. Et qvomodo non fuiſſet ipſi eqvus? Qvis porrò ſenſus eſſet verborum* (v. 13.) *CONTRA FILIOS TUOS GRÆCIA? Atqvi tempore Nehemiæ non dominabantur Græci ſuper Jeroſolymam. Itaq; mea ſententia hæc eſt, Regem hunc* ( de qvo vaticinatur Zacharias ) *eſſe Judam filium Haſmonai, qvi potens qvidem erat ſecundùm id qvod ſcriptum eſt* (v. 3.) *ET PONAM TE TANQVAM GLADIUM POTENTIS; cujus etiam manus prævaluit contra Græcos; ſed qvi tamen ab initio neq; divitias, neq; eqvos habebat.*

§. 3. Etſi verò hujusmodi detorſiones ambabus aliàs amplecti ſolent Hebræorum Magiſtri, Veritatis Evangelicæ Meſſiam jam dudum exhibitum demonſtrantis abjurati hoſtes; hîc tamen conſcientiâ convicti, non poſſunt, qvin כל זה ע״ מלך המשיח *hoc omne de Rege Meſſiâ* interpretentur, qvæ expreſſa verba ſunt celeberrimi illius R. Iſaaci Abarbanelis *Comm. in Proph. poſter. f. CXC. col. 1.* cùm utriusq; ſententiam, Moſis pariter & AbenEſræ paulò altius perpenderet, & ſicut AbenEſra R. Moſen, ſic ipſe R. AbenEſram confunderet, verbis oppidò dignis, qvæ tranſcribantur. Poſtqvam enim Regem hîc promiſſum, fore dixiſſet המלך האמתי שהוא חוטר מגזע ישי הוא לא כהן מזרע אהרון ולא ממשפחת אחרת כ״א מלך האמתי. *Regem verum, qvi virgula ſit de ſurculo Iſai, non ſacerdotem ex ſemine Aharonis, neq; ex aliâ qvadam familiâ oriundum, ſed Regem verum*, mox ad examen eorum, qvæ ex AbenEſræ commentario produximus, ſeſe confert: כבר חשב הראב״ע כפי כוונתו המושחתת לפרש גם הפרשה הזאת על בית שני ופירש מלכך יבא לך על דעת ר משה הכהן בנחמיה התר שתא שני׳ בעזרא עליו מלך ביהודה ולא קבלו הרב רבי אברהם

R. AbenEſram de *Juda Haſmonao* explicantem refutat R. Abarbanel.

בן עזרא כי פחדה היה ובימיו לא משלו יונים אבל
קבל שנאמר על יהודה בן חשמונאי שהיה גבור
ובתחילה עניו היה עני ורוכב על חמור ובישראל לא
היה סוס ורכב בהיותם תחת יון ותמהתי מהכוונה
הרעה שעורה את שכלו כי הנה לא נקרא יהודה
בן חשמונאי מלך כל ימיו כל שכן מלך מכונה לציון
שהוא דוד שלכד את ציון ואם על החשמונים ניבא
מה לו לאפרים כי מלכות אפרים לא היה בבית
שני גם שיהודה חשמונאי לא דבר שלום לכל
הגוים ולא משל מים עד ים ולא נתקיים
בימיו קשת מלכות אפרים כי מלכות עשרת השבטים
שנקרא מלכות אפרים לא שב עד הנה ושאר דברי
הפרשה כלם מכחישים דעתו תכלית ההכחשה:

h. e. *R. AbenEsra jam pridem juxta intentionem suam certè corruptam exponendam esse existimavit hanc etiam sectionem de domo secundâ, interpretatusq; est verba illa : REX TUUS VENIET TIBI, ex sententia R. Mosis Haccohen de Nehemia Hatirschatha, qvi in Esra* (Neh. VI, 7.) *REX IN JUDA dicatur ; Ipsam verò suam non fecit magnus ille Rabbi AbenEsra, tùm qvòd Princeps fuerit, tùm qvòd Græci illis temporibus summam nondum potestatem habuerint ; sed maluit de Juda Hasmonæo interpretari, qvi potentissimus fuerit, sed sub initium administrationis suæ pauper, & Asino vectus, siqvidem in Israele nulla eqvi aut currus copia sub imperio Græcorum daretur. Enimverò miror ego persvasionem isthanc malam, qvæ intellectum ejus excæcavit. Ecce enim nunqvam omnibus vitæ suæ diebus Judas Hasmonæus Rex vocatus est, multò minus Rex à Zione denominatus, qvi est David, utpote qvi Zionem occupavit. Prætereà si de Hasmonæis vaticinatus est Propheta, qvid fiet cum Ephraimitis, qvorum meminit, siqvidem Regnum Ephraim sub templo secundo non superfuit? Neq; etiam Judas Hasmonæus pacem dixit omnibus gentibus, neq; imperinm tenuit à mari usq; ad mare, neq; illius temporibus arcus Regni Ephraim firmatus est, cùm ipsum Regnum decem tribuum, qvod Regnum Ephraim vocatur, nondum hactenus restitutum sit. Imò & omnia totius contextûs verba reliqva hanc ejus sententiam summi erroris arguunt.*

R. Abarbanel de *Messiâ* interpretatur.

Qvæ igitur vera erit? ולכן הטיבו אשר דברו שהיה
יעוד הנה מלכך יבא לך לעתיד לבא והוא דעת רש״י
והרב רבי דוד קמחי: *Itaq;*, inqvit, *optimè fecerunt illi, qvi promissi-*

*missionem hanc: ECCE REX TUUS VENIET TIBI, adhuc implendam dixére, qvæ sententia est R. Salomonis Jarchii & magni illius R. Davidis Kimchii.*

§. 4. R. Salomo Jarchi sanè non posse de alio, qvàm de Messia exponi, tot verbis asseruit *Comm. h. l. f. DCLXXXIIX. Col. 1.* cum Raschi אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח שנאמר בו ומשל מים עד ים ולא מצינו מושל לישראל כזה בימי בית שני *Impossibile est*, inqvit, *interpretari hunc locum, nisi de Rege Messiâ, qvia dicitur* (v. 10.) *Et dominabitur à mari usq; ad mare. Atqvi non invenimus hujusmodi dominatorem Israelitarum tempore templi secundi.* Nec indecoram Messiæ suo hanc Asini vecturam statuit, sed id fore dicit מדת ענוה *virtutem* aut *attributum humilitatis*; qvâ ratione & R. Dav. Kimchi *in h. l. fol. cit. Bibl. Basil.* de mansvetudinis & hu- R. D. Kimchi. militatis indicio exponit, voce עני pro ענו positâ (qvam LXX. qvoq; πρᾶος vel πραὺς reddiderunt, & Evangelista retinuit *Matth. XXI, 5.*) jamdum significato: רוכב על החמור לא מחסרון שהרי כל העולם יהיה ברשותו אלא מענוה ירכב על חמור ועוד להורות כי לא יצטרכו ישראל לסוסים ולרכב לפיכך אמר אחריו והכרתי רכב מאפרים וסוס מירושלם: *Vehendus*, inqvit, *dicitur Asino, non ex inopia: Ecce enim totus mundus erit in illius potestate; Sed ex humilitate Asino insidebit. Prætereà ad docendum, qvod Israelitæ opus non sint habituri eqvis & curribus; ideò enim mox addit: Excindam currus ex Ephraim & eqvos ex Jerusalem.* Qvæ omnia R. Salomo Aben Melech *in Michlal Jophi ad h. l.* R. Aben Melech. *fol. CLXI. col. 1.* ad verbum suo more transcripsit, ac prorsum ita repetiit R. Abarbanel *loc. cit.* Nam & עני מלשון ענוה *sensum vocis* עני non à paupertatis, sed *mansvetudinis* & *humilitatis significatione* advocandum, & huc ipsammet Asini vecturam trahendam scribit: לא ירכב מלך המשיח על חמור לדלותו שלא יהיה לו סוס כי הוא ימלוך על כל כלי חמדה אלא מפני ענותו ולהורות שלא תהיה עוד מלחמה בארץ כי המלך הבוטח בה׳ בדברי פיו ישפות שלום בכל הגוים לפי שהוא ימשול מים עד ים וכן נאמר בספר תהלים וירד מים עד ים: *Non*, inqvit, *Asino vehetur Rex Messias ob tenuitatem fortè vel paupertatem, qvasi eqvo destitueretur, siqvidem res qvaliscunq; preti-*

*pretiosa & desiderabilis illius regno subierit; sed propter mansvetudinem & humilitatem suam, atq; ut ostendat, non amplius bellum in terrâ fore, hunc enim Regem Deo confisum verbis oris sui dispositurum pacem inter omnes Gentes, qvippe qvi dominaturus sit à mari usq; ad mare, prout in Psalmorum qvoq; libro de eo prædictum est Psal. LXXII. 8.* Qvæ Judæorum interpretatio licèt ex ipsorum intentione & scopo accepta non pauca habeat, qvæ diligentius examen promereantur, si hoc nunc ageremus; meritò tamen ruborem poterat incutere Judaizanti *Grotio* ad Sorobabelem, qvi *Jerem. XXIII, 5.* & *Ezech. XXXVII, 22. 24.* Rex appelletur, vaticinium hoc perperam post *Theodorum Mopsvestanum*, similiter olim Judaizantem & Ebionizantem, detorqventi *in annot. ad V. T. fol. 634. 635.* de qvo vide sis Dn. D. Varenium *in Colleg. Canon. Prophetar. Postbabyl. p. 125.* & inprimis Dn. D. Calovium *in Anti-Grotianis* jam DEI gratiâ in opus Biblicum omni encomio nostro majus feliciter succrescentibus, *ad hunc Zachar. loc.*

*(ubi obiter Grotiana γεβλότης notatur.)*

§. 5. Atq; hæc communis Rabbinorum est loci hujus de Messiâ expositio, qvam eò minus deserere possunt, qvo clarior est veterum Magistrorum circa illam consensus. Ac plura qvidem illorum testimonia inferiùs datâ occasione producentur. Sufficiat hic unum alterumve attulisse. Inprimis verò dignus observatu locus est in Gemarâ Babilon. Massech. Sanhedrin *fol. XCIX. col. 1.* ubi cùm R. Hillel, (non celebris ille absq; Rabbini titulo *Hillel*, vel הילל הזקן *Hillel senex* dictus, sed alius qvidam minoris autoritatis Rabbi, qvi diu post destructionem urbis ac templi ultimam vixit) Messiam jam temporibus Ezechiæ exhibitum pronunciasset, qvibus id omne putabat impletum esse, qvicqvid boni & prosperi Israelitis prædixissent Prophetæ, gravissimus se illi adversarius opponebat, R. Joseph tanti inter suos æstimatus, ut סיני *Sinai* diceretur לפי שהיה בקי במשניות כנתינתם מסיני *eò qvod constitutionũ Mischnicarum tàm peritus esset, ut eas eo modo, qvo in Sinai traditæ erant, cognosceret,* teste R. Josua Hallevi *in Halichos olam portâ I. c. 3. p. 23.* Hic vanitatem asserti Hilleliani ostensurus hoc Zachariæ secundi templi Prophetæ objiciebat vaticinium, qvod Messiam adhuc venturum polliceri apud omnes in confesso & extra dubium statuebat. Audiamus ipsa Gemaræ verba: ר' הילל אומר אין להם משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה אמר רב יוסף שרא

*...mq; an-
...vioribus
...bbinis*

*...Gemarâ.*

שרא ליה מריה לר' הילל חזקיה אימת הוה בבית ראשון ואילו זכריה קא מתנבי בבית שני ואומר גילי מאד בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלכך יבא לך צדיק ונושע הוא עני ורוכב על חמור ועל עיר בן אתונות: *R. Hillel ait: Non dabitur Iſraeli Meſſias, jam enim compotiti illo ſunt vivente Ezechiâ. Ad qvod R. Joſeph: Condona, inqvit, ipſi Domine ejus, condona R. Hilleli. Ezechias qvando vixit? Stante templo primo. Atqvi Zacharias vaticinatus eſt ſub templo ſecundo, & dixit: Exulta valdè Filia Zion, clange Filia Jeroſolymæ; ecce enim Rex tuus veniet tibi juſtus & ſalute præditus, pauper & inſidens aſino & pullo filio aſinæ.* Conf. Beth Jiſraël *part. II. fol. CXCVII. col. 4. edit. Veronenſ.* Coccejus *Excerpt. ex Gemar. p. 360. 361.* Chriſt. Gerſon *in Chelec p. 130.* qvem ultimum utpote in Synagogâ Judaicâ educatum miror phraſin אכלוהו reddidiſſe: *devorarunt illum*, qvod & *p. 127.* fecerat, cùm tamen *fruendi* & *potiundi* notionem habeat apud Talmudicos, ceu eruditè oſtendit Coccejus *in notis ad Excerpt. pag. 378.* cui omninò adde Eduard. Pocock. *not. miſcell. ad Portam Moſis cap. VI. p. 111. & 112.* Ipſam verò Haggadam expoſitam vide in Caphtor Vaphærach *Seder Niſik. Orat. XXXIV. fol. CXLIII. col. 2.* item apud R. Abarbanel in *Roſch Amanah cap. XIV.* qvod Gvilielmus Vorſtius *notis ſuis p. 65.* prolixè ſatis illuſtravit.

§. 6. Porrò non minus memorabilis eſt illa inter Moſen Redemptorem, qvem vocant, primum, & inter Meſſiam Redemptorem alterum collatio, qvam ad illud *Cohel. I, 9. Qvod fuit, eſt illud, qvod erit,* latius perſeqvuntur in antiqviſſimo illo Medraſch Coheleth *part. II. Rabbos, fol. LXXXV. col. 4.* interq; alios comparationum fontes vecturam Aſini, qvæ de utroq; in Scripturâ memoretur, ſic concedunt à Prophetâ Meſſiæ prædictam: ר' ברכיה אמר בשם רבי יצחק כגואל ראשון כן גואל אחרון מה גואל ראשון נאמר ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור כך גואל אחרון שנאמר עני ורוכב על חמור: *Dixit R. Berachia nomine R. Iſaaci: Sicuti fuit Redemptor primus, ita erit Redemptor ultimus. Qvid fecit primus Redemptor? dictum eſt de eo* Exod. IV, 20. *ET TULIT MOSES UXOREM SUAM ET FILIOS SUOS, ET SEDERE ILLOS FECIT SUPER ASINUM. Idem & de Redemptore ſecundo dictum eſt* Zach. IX, 9. *PAUPER ERIT ET INSIDENS ASINO.* Aliud præterea teſti-

& Rabbos,

teſtimonium Veterum Hebræorũ Raymundus *part. III. Pug. fid. diſt. III. c. XVI. fol. 656.* & ex eo Galatinus *lib. IX. de Arc. Cath. Verit. c. IX. fol. 326.* proferunt ex Bereſchit Rabba ad illud *Gen. XLIX, 11. ligans ad vitem pullum ſuum,* qvod ſic habet: כשיבא מלך המשיח לירושלם להושיע ישראל הוא אוסר חמורו וירכב עליו ויבא לירושלם שינהוג עצמו בעניה שנאמר עני ורוכב על חמור וכו׳ *Cum venerit Rex Meſſias ad Jeruſalem ad ſalvandum Iſrael, ipſe erit ligans* (cingulans) *Aſinum ſuum & eqvitabit ſuper eum, & veniet ad Jeruſalem, ut ſemetipſum ducat in paupertate & humilitate, ſicut dictum eſt* Zach. IX, 9. *Pauper & inſidens Aſino,* &c. Sed ut diligentiſſimè totam Paraſcham ויחי יעקב in Rabbos perlegerimus, iſta tamen, fatemur, offendere ibi non licuit, nec immeritò dubitamus, annon alia planè illa Geneſeos expoſitio ſit à Raymundo & Galatino R. Moſi Haddarſchan adſcripta ab eâ, qvam poſſidemus, qvæq; Buxtorfio *in Biblioth. Rab. p. 326.* laudata communiter titulo Bereſchith Rabba venire ſolet, qvâ de re alibi dicendum fuerit. Interim dum hanc magnam gloſſam Rabba bar Nachmoni revolvimus, duo alia loca ſe nobis offerunt, unus *fol. CX. col. 3.* alter *fol. CXIII. col. 2.* qvorum uterq; ad illa Geneſeos verba, qvibus Schilo, qvem Meſſiam eſſe ibi conceſſerant, ſuum aſinum ad vitem ligare dicitur, diſertim aſſerit: זה שכתוב בו עני ורוכב על חמור וגומ׳ *Hic ille eſt, de qvo dicitur* Zachariæ IX, 9. *Pauper & vectus aſino &c.*

R. Lipmanni Sycophantia, de *cruce in ſcapulis aſini.*

§. 7. Ab hâc Patrum ſuorum ſententiâ non recedit R. Lipmannus, cujus tamen vel hinc libidinem calumniandi, & malitiam colligas, in eo ſe exerentem, qvando Chriſtianis non primum modò interpretationis de Meſſiâ inventum, ſed infrunitam qvoq; argumentandi rationem veteratoriè tribuit, qvaſi ab Aſini dorſo, qvod nigræ figuram crucis refert, arguant de Chriſto crucifixo vaticinium intelligendum eſſe, qvam ejus cavillationem legere eſt in virulento libro Nizzachon, cujus editionem Hackſpanio, debemus *num. CLXII. p. 143.* הנוצרים מפרשים את זאת על הנוצרי וסמכו לדבריהם שעל כתפות החמור נראית כשתי וערב: *Chriſtiani,* inqvit, *textum hunc de Jeſu Nazareno exponunt, & ſuam ſententiam hinc probant, qvod in ſcapulis aſini qvodammodo Crux appareat.* Inaudivit fortè aliqvid Sycophanta de piis Patrum meditationibus, in qvibus Crucem Dominicam ſibi ubiq; qvaſi præſentem, & non

minus

minus mundo, cœlo, homini, qvàm aliis creaturis, animalibus, arboribus, plantis, floribus impressam ob oculos statuebant, ne passionis adeò salutaris in Cruce peractæ memoria obliteretur, cujusmodi loca aliqvot ad Prudentii Romanum Georg. Fabricius *in Exposit. Prudent. p. 393. edit. Weizii;* plura ad Minucii Felicis Octavium Geverhart. Elmenhorstius *in Comment. fol. 50.* annotarunt, imò Jacobus Bosius *integrum librum II. de Cruce triumphante & gloriosa à fol. 127. ad 173.* conqvisitis undecunq; ad hanc materiam illustrandam Patrum dictis replevit, qvi licèt & *in lib. III.* omnes Crucis figuras qvæ Veteris & Novi Testamenti sacris paginis contineantur, & *in IVto* Prophetias, vaticinia & Oracula, qvibus crux illa in scripturis prænunciata sit à Prophetis, unà cum Patrum declarationibus curiosè admodùm congesserit, nullibi tamen scapularum asini vel minimam invenias mentionem, ut aut confinxerit commentusq; sit ipse tale qvid occasione piarum meditationum, qvas super aliis forte figuris audiverat, aut si omninò aliqvis Jesum dixisset ad Crucem suam asino vectum, in ipsis scapulis asini, cui insidebat, signum vidisse, & memoriale contumeliosæ mortis, qvam in Cruce subiturus erat, cujusmodi figuras non diffitemur aliqvando, pro concione præsertim, allegoriarum architectos sectari; noverit tamen, nosse certè debuerit, ridiculus ante victoriam triumfator, neminem Christianorum unqvam à dorso Asini ad sensum & significationem vaticinii Zachariani argumentum duxisse, cujus adeò illusione, ac refutatione, qvam operosè moliebatur, supersedere poterat, nec opus habebat ironiâ, qvam post debellatum hoc argumentum addit *p. 144.* גנאי גדול להם שיביאו ראיה מן יצירת הבריות שהרי כל אדם המונח על פניו ופושט רגליו נראה שתי וערב לפני אחוריו: *Magna ipsis ignominia est, qvòd argumentum petunt à figurâ creatorum. Ecce enim qvivis homo incumbens faciei & extendens pedes suos crucem repræsentat post ipsum consistenti.*

§. 8. Idem Lipmannus ibidem alia congessit, qvibus nostram Vaticinii de Messiâ interpretationem infirmari, ac nosmetipsos egregiè stringi gloriatur. Provocat (1) ad *συνάφειαν* textus, in qvo talia de subjecto Vaticinii prædicentur, qvæ Jesu nostro nullo modo conveniant: אין לפרוש הפסוק על הנוצרי כי הפרשה מסיימת ונכרתה קשת מלחמה ומושלו מים ועד ים מנהר עד אפסי Ejusdem argumenta contra Christianos.

אפסי ארץ והלא אחר ביאת חנוצרי נשאר קשת מלחמה כבראשונה ועוד שגם אמונת הנוצרי וממשלתו אינה בכל העולם: *Non potest*, inqvit, *textus hic de Jesu Nazareno exponi, qvia sectio desinit in hæc verba: ET SUCCIDETUR ARCUS BELLI, ET DOMINIUM EJUS ERIT A MARI AD MARE, ET A FLUVIO AD FINES TERRÆ. Numqvid verò non post adventum Nazareni relictus est arcus belli, perinde ut prius erat? Præterea nec fides Nazareni atq; dominium ejus in omnem mundum extenditur.* Ducere laborat (2) ad absurdum cum nostrâ ignominiâ conjunctum: ועוד גנאי להם שקוראים לאלהיהם עני: *Porrò & illud ignominiosum illis* (Christianis) *est, qvòd Deum suum,* (qvem dicunt Jesum esse,) *vocant pauperem.* Tandem opponit (3) veram, qvam putat, expositionem, qvæ simul cum nostrâ consistere neqveat: הלא פירשתי בסימן ר״ס שאררבא זכריה ניבא ישועת ישראל והגאולה: *Annon jam suprà numero CCLX.* (lege רסא i.e. CCLXI.) *exposui qvòd contrà potiùs Zacharias de salute & redemptione Israelis vaticinatus sit?* Vocaverat autem ibi, qvod hîc ישועת ישראל והגאולה *salutem Israelis & redemptionem* nominat, ימות המשיח *dies Messiæ,* qvo nomine illud tempus insigniunt, qvo subjugatis gentibus & restituto Israelitis Dominio regnaturus est in his terris Messias, definiente R. Mose Maimonide *part. 1. Jad chasak. Hilk. Tschubba c. IIX. n. VII. fol. XLIX. fac. 2.* qvi *cap. seq. IX. num. II. fol. L. fac. 1.* addit: שימות המשיח הוא העולם הזה ועולם כמנהגו הולך אלא שהמלכות תחזור לישראל וכבר אמרו חכמים הראשונים אין בין העולם הזה לימות המשיח אלא שיעבוד מלכיות בלבד: *Pertinere qvidem hos dies Messiæ ad hunc mundum, mundumq; tunc ad eundem modum gubernandum, sed regnum tamen Israelitis restitutum iri; prout jam pridem dixerint Sapientes Veteres: Nulla est differentia inter hunc mundum & dies Messiæ, nisi in hoc solo, qvòd regna subjugabuntur.* Videatur ipse Maimonidis textus, ubi plura de diebus Messiæ, & conferantur R. David Kimchi *ad Es. I, 26.* ac R. Gedalia ben Jechaja *in schalschéleth hakkabala p. XXCVI. col. 1.* item Pocockius *not. miscell. ad Port. Mosis c. VI. p. 104. 110. seq.* Buxtorfius *Synag. Judaic. à Fil. aucta c. L. p. 717. seqq.* Alting. *lib. IV. Schilo c. XVI. p. 276. seqq.* Qvæ qvidem omnia sic comparata sunt, ut facilè à qvovis dilui, inq; ipsum retorqveri Autorem possint; nos tamen iis The-

*Dies Meßiæ* qvid Judæis?

iis Theologis hanc provinciam tradimus, qvi controversias & vindicias tractant. Nobis qvippe in præsenti Judaicas illas offucias saltem prodidisse, & Hebræorum mentem exposuisse sufficit.

§. 9. Mens qvidem Veterum, qvi ante Christi tempora vixerunt, & qvorum vestigia in Talmude, & Rabbos observare licet, sine dubio fuit orthodoxa; sed posteri eorum, ex qvo hunc lapidem angularem rejecerunt, cùm per autoritatem Majorum suorum ab ipsâ interpretatione recedere non audeant, sic illam accipiunt, qvasi implendum adhuc vaticinium velit, & de Messiâ id dicunt loqvi, non qvem nos veneramur exhibitum, illi verò contemptim הנוצרי *Nazarenum* appellant, sed Chimæricum, & qvem adhuc futurum præstolantur frustrà. (Interpretatio de Messiâ à *recentioribus* aliter qvàm à *Veteribus* accipitur.) Qvâ in parte Lipmannus cum memoratis superiùs Rabbinis, Salomone, Kimchio, Abarbanele & aliis, multò est astutior alterius Nizzachon autore, qvicunq; sit: nam plures ut hujus nominis libros, sic Autores eorum dari, Hackspanius *in præfat. de suo Lipmanno p. 217.* docebit, & possidemus nos qvoqꝫ ipsi tale MSCR. nobis olim è Synagogâ Hanoviensi vindicatum, recentioris, ut videtur, Rabbini, (Libri *Nizzachon* plures & varii.) qvod ad prolixitatem tùm Hackspaniani Codicis, cujus tria alia MSCR. Dn. D. Wagenseilius obtinuit, emendationem inde Hackspaniani pollicitus, tùm Fagiani in Academiæ Argentoratensis Bibliothecâ publico studiosorum usui etiamnum inservientis, non assurgit qvidem, vices tamen compendii Theologiæ Judæorum Polemicæ, qvale nondum prodiisse recordamur, supplere potest, eoq; nomine non inutilem aliqvando, si DEUS voluerit & vixerimus, exercitiis nostris materiam suggeret. Cæterùm exemplar hîc intelligimus Munsteri, cujus solùm allegatis in Notis ejus ad Vet. Test. & Evangelium Matthæi Hebraicum conspicuis, contentos esse oportet, qvibus & hanc Judæi sententiam acceptam referimus *ex Not. ad Matth. Hebr. p. 301.* Hic igitur Deitatem CHRISTI nostri impugnaturus ab hac Asini vecturâ temulentiùs, nec ad Prophetarum dicta, nec Veterum effata attendens, argumentum petit: (Munsteriani Nizzachon argutiæ.) אם משיחכם אלהים למה רכב על בהמה טמאה והלא צוה כשנתן התורה לישראל גם הצאן והבקר אל ירעו מול ההר ההוא מה אפילו בהמה טהורה גזר שלא ירעו מול ההר ק״ו בהמה טמאה וכאן הוא רכב בעצמו על בהמה טמאה: *Si Christus vester Deus est*, inqvit, *qvare vectus est Asino, animali*

*mali immundo? Annon verò interdixit Deus, cùm legem daret Israeli, ne vel pecus vel armentum pasceret è regione montis illius* (in qvo Deus apparebat? Exod. XXXIV, 3.) *Qvod si etiam mundum animal arcuit, ne è regione montis pasceret, qvantò magis animal immundum? Atq; hic* (Christus vester) *ipsemet vectus est animali immundo!*

§. 10. Transigat verò priùs cum Doctoribus suis infrunitus Andabata, qvàm CHRISTO nostro vecturam Asini improperet, & suum priùs Messiam, qvem Asino advehendum hoc Zachariæ vaticinio nixi concedunt, ab indecorâ minusqve convenienti animalis immundi admissione liberet, qvicqvid aliàs de eo sit, qvòd ipsi Deitatem derogant, de qvâ tamen legi merentur adversum Judæos disputantes Raymundus *part. III. Pug. fid. c. II. seq. fol. 508. seq.* Galatinus *lib. III. de Arc. Cath. Ver. c. VII. seqq. fol. 85. seqq.* Weidnerus *Loc. fid. Christ. tract. I. p. 103. seqq.* Müllerus *lib. 1. Judaism. c. XIIX. p. 546. seq.* Hornbeck *lib. 5. de convincend. Judæis cap. I. p. 359. seqq.* L'Empereur *Annot. ad R. Jachiad. p. 247. 248.* Helvicus *System. Controvers. cum Judæis Elench. II. toto* & alii. Neqve enim suam ille sententiam fecerit, qvâ vecturam asini à Zachariâ prædictam de lento & retardato Messiæ adventu interpretatur Glossa Talmudica margini Gemaræ *Massechet Sanhedrin fol. XCIIX. col. 1.* adscripta, & à R. Jacob Aben Chabib *in Beth Israel part. II. fol. CXCVI. col. 4.* repetita, qvasi verba hæc עני ורוכב על חמור *Pauper & insidens asino*, non aliud sibi velint, qvam adventurum Messiam כעני הבא על חמורו בעצלות *instar pauperis super asino suo lentè & serò venientis:* ferè ut Calvinus *Comm. in Zachar. h. l.* hunc esse genuinum sensum scribit, si *figurato sermone* innui dicamus, *Christum fore obscurum hominem*; qvem tamen simul cum Pareo, propugnatore suo debellatum vide à B. Ægid. Hunnio *in Anti-Pareo altero p. 457.* Privata est hæc opinio nunqvam inter Judæos publicè recepta, nec fortè Judæo illi ita cognita; sed neqve ullum, qvi istam saltèm attigerit, præter hanc glossam, videre fuit hucusqve sive inter Talmudicos, sive Commentatores, notæ alicujus & fidei apud suos Autorem, qvales Judæus qvidam, Jacobus Romanus, Pocockio *in not. Miscell. ad Port. Mos. p. 90.* à doctrinâ & ingenuitate laudatus, eidem cavit debere seqvi, si qvid ut à Judæis dictum aut assertum referre vellet, ut adeò, qvod de Doctoribus Mischnicis dissentientem aliqvem inter se habentibus observandum

Privata Glossæ Talmudicæ expositio dicti Zachariani, *de adventu Messiæ retardato.*

monet

monet R. Samuel han-Nagid *in Introduct. ad Gemaram p. 227.* hîc qvoqve valeat: : מחלוקת התנאים יחיד ורבים הלכה כרבים *Si dissentiant inter se Doctores Talmudici unus & plures, statuitur secundùm plures.* Omnes vecturam asini propriè capiunt, & Messiam asino reverà insidentem sibi adventurum sperant. Hinc illa formula, qvâ desiderium suum potiundi adventu & præsentiâ ejus expressuri בצל הרעי של חמורו in umbrâ fimi asini ejus sedere, & inde ipsum intueri posse optabant: Qvod votum R. Josepho omnium primo tribuitur in Talmudis Babilonici *Massech. Sanhedr. fol. XCIIX. col. 2.* & in Beth Israel *part. II. f. CXCVII. col. 2.* cum Hula & Raba è contrario adventum ejus vel ob conjunctos illi, qvos dicunt, חבלי המשיח *dolores Messiæ*, vel aliam ob causam deprecarentur: אמר עולה ייתי ולא איחמיניה וכן אמר רבא ייתי ולא איחמיניה רב יוסף אמר ייתי ואזכי דאיתיב בטולא דכופיתא דחמריה : *Dixit Hula: veniat* ( Messias ) *At ego ne videam illum. Similiter dixit Rabba: veniet (*Messias*) at ego ne videam illum. Rab Joseph verò dixit: Veniat & vel in umbra fimi asini ejus sedeam.* כלומר *qvasi diceret*, inqvit Glossa utrobiqve אפילו בכך אני רוצה בכך ובלבד שאראנו *Etiamsi hæc conditio adesset, tamen id ita vellem, idqve tantum ideò, ut videam illum.* Adeò nimirum extra dubium communiter ponunt, & de Messiâ Zachariam vaticinari, & verba propriè ac juxta literam exponenda esse, ut sæpè etiam obiter & aliud agentes hoc moneant. Baal Hatturim certè in Masorethicis occupatus *ad Exod. XXII, 9. fol. LXXIIX. col. 1.* tale monitum admiscuit, cùm parallelum saltem qvoad verba hunc Prophetæ locum recenseret: על חמור ב׳ הבא ואידך עני ורוכב על חמור איירי במשיח: *Hæ duæ voces* על חמור *SUPER ASINO bis ita conjunctæ in toto bibliorum codice occurrunt: semel hîc* Exod XXII, 9. *& iterum* Zach. IX, 9. *cum dicitur: pauper & eqvitans* על חמור *super asino: qvi qvidem locus de Messia agit.*

Votum R. Josephi *in umbrâ fimi asini Messiæ sedere cupientis.*

Baal hatturim.

§ II. Hæc cùm ita statuant duplicis Messiæ status, exinanitionis & exaltationis, duplicis item ejus adventûs, ad passionem nempè & ad Judicium ignari, non possunt nô torqveri, vaticinio *Daniel VII, 13.* qvo non asino, sed עם ענני שמיא *cum nubibus cæli* venturus prædicitur. Hoc enim de Messiâ accipiendum, contra privatam R. Aben Esræ & aliorum qvorundam opinionem, pleriq; Judæorum consentiunt,

Conciliatio *Zach. IX, 9.* cum *Dan. VII, 13.*

*Subjectum* Vaticinii Danielis *Messias*, juxta plerosq; Rab. & nominatim Abarbanelem.

tiunt, qvorum nomina videas apud Dominum D. Gejerum, verum totius loci sensũ accuratè, ut solet, enucleantẽ *in Prælect. Acad. ad h. l. p. 550. seqq.* Addimus nos R. Abarbanelẽ ibi non commemoratũ, qvi *in Majene hajeschuah fonte IIX. palmâ IX. f. XCIX. col. 4.* cùm sibi in verbis textûs sex ordine partes proposuisset explicandas, qvid sit, *cum nubibus Cœli?* qvid illud: *qvasi filius hominis veniebat* &c. hanc suam *ἐξήγησιν* sic orditur; וראוי לפרש על מה יורו כל אחד מהענינים האלה כפי הנמשל ואומר שמאשר זכר הנביא ראשונה חרבן רומי ואחריו זכר גאולת ישראל ותשועתו למדנו בלי ספק שכן יהיה בעתיד שראשונה תחרב רומי ואחרי כן יתגלה מלך המשיח: *Atq; ita visum est interpretari, de qvo unaqvæq; earum rerum doceat juxta analogiam. Dico igitur, nos ex eo, qvod Propheta prius vastationis Romæ, postea redemptionis Israelis & Salutis ejus meminit, discere sine omni dubio, qvòd sic olim futurum sit, nempè primum vastatum iri Romam, ac posteà sese revelaturum esse Regem Messiam.* Id qvod deinde similiter loco qvodam ex capitulis R. Eliesaris deprompto confirmat. Et cùm secundam propositionis suæ partem absolvisset, ad vulgarem Interpretum expositionem provocat *fol. L. col. 1.* והמפרשים פירשו כבר אנש על מלך המשיח כאילו הוא איש אחד שיבא לדין לבקש על עמו: *Interpretes,* inqvit, *aliàs hæc verba: QVASI FILIUS HOMINIS, de Rege Messia exponunt, qvasi esset vir qvidam, qvi venturus sit ad judicium, ut qværat de populo suo.* Ipsa Abarbanelis sententia, & rationes, qvibus eam propugnat, nihil ad præsentem Andromachen. Legat, qvi potest, in Autore ipso. Hoc saltem ostendendum erat, loqvi Prophetam, ex ipsius & cæterorum Judæorum opinione, de גאולת ישראל ותשועתו *Redemptione & salute Israelis,* h. e. ut explicant, de ימות המשיח *diebus Messiæ,* de qvibus Zachariam qvoq; loqvutum fuisse dixerant. Alter igitur, qvia super Asino pauperem, alter vero gloriosum cum cœli nubibus adventurum nunciavit, haud parum desudant, qvâ ratione hic cum illo conciliandus? ut perqvàm apposítè huc qvadret, qvod R. Abraham Seba *in Zeror hammor fol. LXXVI. col. 4.* Capitis XIX. Exodi versum IX. cum præcedente IIX. conciliaturus præmittebat: הנה כל המפרשים נבוכו בזה ופירשו בו פירושים שונים אין חמור נושא ספריהם: *Ecce Interpretes adeò perplexi sunt circa hoc, & fingunt sibi de eo interpretationes adeò varias, ut ASINUS non sit ferendis eorum libris sufficiens.*

§. 12.

*Prima* conciliandi ratio à dignitate vel indignitate Judæorum.

§. 12. Recepta ferè est illa conciliandi ratio, qvæ in Gemara Babilonica *Massech. Sanhedrin fol. XCIIX. col. 1.* & inde in Beth Israel *part. II. fol. CXCVI. col. 4.* atqve in Jalkut *part. II. numer. DLXXVI. f. LXXXVI. col. 1.* traditur: אמר רבי אלכסנדרי רבי יהושע בן לוי רמי כתיב וארו עם ענני שניא כבר אינש אתי וכתיב עני ורוכב על חמור זכו עם ענני שמיא לא זכו עני ורוכב על חמור: *Dixit R. Alexander, R. Josuam ben Levi commisisse inter se hæc duo loca* Dan. VII, 13. *Ecce in nubibus cœli velut filius hominis veniet: Et* Zach: IX, 9. *veniet pauper & vectus asino.* Sic autem conciliavit: *si digni fuerint Judæi, veniet in nubibus Cœli; Sin indigni, veniet pauper & vectus asino.* Idem ex Bereschith Rabba Raymundus *loco supra §. 6. citato* adducit: cùm enim ibi, ut vidimus, hæc Zachariæ verba pro confirmanda Messiæ paupertate vel humilitate, Judæus produxisset, fingit sibi ex Daniele objectionem: והלא כבר נאמר על המשיח וארו עם ענני שמיא כבר אינש אתה *Annon verò, inqvit, pridem dictum est, de Messia* Dan. VII, 13. *Ecce cum nubibus Cœli qvasi filius hominis veniens?* & respoudet: זכו ישראל עם ענני שמיא לא זכו עני ורוכב על חמור *Si digni fuerint, aut meruerint Israelitæ, veniet cum nubibus Cœli. Si non meruerint, pauper & insidens asino.* Qvod ubi consimiliter Hackspanius *part. II. Notar. Philol. in diffic. script. loca p. 867.* recensuisset, *Sic, inqvit, dignitas Messiæ à dignitate Judæorum dependet, qvi eam Regi suo acceptam ferre debebant.* Imò, inqvam ego, qvia passim fatentur, שכלו כל הקיצים *completos esse omnes terminos*, rationem sic reddant dilati Messiæ sui adventus super asino, qvalem indignitas ipsorum & impœnitentia admittit. Nota est vetus Judæorum cantilena in Sanhedrin *f. XCVII. col. 2.* completos qvidem & elapsos esse terminos, ואין הדבר תלוי אלא בתשובה ומעשים טובים *sed rem nonnisi à pœnitentia & bonis operibus pendere:* qvam nostro tempore Menasse ben Israel *lib. III. de Resurr. Mort. c. III. p. 268.* recinuit: *Profectò verissimum est, si Israelitæ seriò factorum suorum pœnitentiam egissent, Messiæ adventus non fuisset procrastinatus; at nunc qvia profundè immersi jacent hærentqve defixi in vitiis & peccatis suis, hinc est, qvòd differatur beatitudo illa usq; ad finem dierum.* Unde R. Mechir in *Abbkath Rochel* (qvem librum & manuscriptum, & Arimini impressum possidemus.) *l. I. part. II. f. IV. col. 3, editionis Ariminensis*, ubi hanc materiam ex instituto perseqvitur,

maturandum ejus adventum promittit, ut primum resipiscant: אם מעצמם יעשו תשובה תבא להם הגאולה בשלום ובנחת וילך מלך המשיח בירושלם ויתקבצו אליו הגליות בשמחה שנאמר בישעיה והביאו את אחיכם מכל הגוים מנחה לה׳ בצבים ובפרדים ובכרכרות וגו׳ וכתיב כי בשמחה תצאו ובשלום תובלון: *Si suâ sponte* (Israelitæ) *egerint Pœnitentiam, veniet eis redemptio in pace & tranqvillitate, ingredieturq; Rex Meßias Jerosolymam & congregabuntur ad ipsum in exilium mißi cum gaudio: Sicuti dictum est, apud Esaiam* cap. LXVI, 20. *Et adducent fratres vestros ex omnibus gentibus donum Domino, in lecticis, & mulis, & veredariis. Atq; iterum* c. LV, 12. *Qvia in lætitia egrediemini & in pace deducamini.* Conferantur Hulsius *l.1. Theol. Judaic. part. II p. 235.* Hornbeck *l. II. de convincend. Jud. c.1 p. 194. seqq.* Alting. *lib. IV. Schilo c. XI. p. 252.* Coccejus *Consider. Responsion. Judaic. c. XV. p. 222. 223.* Müllerus *lib. 1. Judaism. c. XVI, p. 498.* Helvicus *Epelench. Judaic. Disp. 1. Except. 1. generali.* Enimverò aut absolutè de qvolibet & qvalicunqve Messiæ adventu hoc intelligunt, aut limitatè de glorioso tantùm: Si absolutè, irrita est tota illa utramqve prophetiam conciliandi ratio, cùm paupertinum super asino adventum æqve ac gloriosum cum cœli nubibus impediat eadem ipsorum indignitas & impœnitentia; Sin limitatè, qvare igitur indignis & immerentibus non venit asino vectus, postqvam omnes termini adventui ejus destinati elapsi sunt? Nihil ad hoc respondere poterunt, nisi fortè à textûs literâ recedant, & vaticinium Danielis de maturato acceleratoq;, Zachariæ autem de lento & retardato adventu, glossam seqvuti Talmudicam interpretētur, qvasi עם ענני שמיא *cum nubibus Cœli* venire idem sit, ac במהרות *festinè*, qvalis solet esse repentinus fulguris per nubes transitus; at על חמור *super asino*, idem qvod בעצלות *lentè & serò*, qvaliter venire solet, qvi asino lentè festinanti vehitur: qvam tamen παρερμηνείαν suam non fecisse Judæos, suprà *§. 10.* ostendimus.

*Secunda* conciliandi ratio à duplici Messiâ, *ben-David* & *ben-Joseph.*

§. 13. Nonnulli duos, qvos fingunt, Messias, alterum משיח בן יוסף *Messiam filium Josephi*, interdum & בן אפרים *filium Ephraim* dictum, alterum משיח בן דוד *Meßiam filium Davidis*, in subsidium vocant, qvorum illi tribuunt, qvicqvid in scripturâ humile & abjectum de Messiâ prædicatur; huic contrà qvodcunqve sublime

&

& glorioſum. Illum,inqviunt, redemptionis & liberationis opus incepturum qvidem, at non perfecturum, triumfos qvidem aliqvot acturum, Romanum Imperium ſubjugaturum, partemqve Judæorum in terram ſanctam reducturum, ſed in bellis tandem, qvæ cum Gogo & Armillo geret, ſuccubiturum & trucidandum: Hunc verò poſteà ſucceſſurum in locum illius, & cœptam perfecturum liberationem, bella contra Gogum & Armillum finiturum, & totum deniqve mundum ſubjugaturum eſſe. Unde R. Salomo Jarchi *ad Jeſa. XXIV, 18. fol. CDLXVII. col. 2.* totalem internecionem gentibus minari cupiens: הנמלט מחרב משיח בן יוסף יפול אל חרב משיח בן דוד והנמלט משם ילכד בפח במלחמת גוג׃ *Qvicunqve*, inqvit, *evaſerit gladio Meſſiæ filii Joſeph, incidet in gladium Meſſiæ filii Davidis; & qvi hinc evaſerit, capietur illaqveatus in bello Gogi.* Ad qvos duos Meſſias duo illa ſponſæ ubera in Cantico Canticorum laudata accommodat Joſeph Luſcus *in Targum Cantic. IV, 5.* תרין פריקיך דעתידין למפרקיך משיח בר דוד ומשיח בר אפרים׃ *Duo liberatores tui, qvi te ſunt liberaturi, Meſſias filius Davidis & Meſſias filius Ephraim.* De utroqve turmatim Autores agunt, ac poterit, qvi plura volet, adire poſt Talmud. *Maſſech. Succa cap. V. fol. LII. col. 1.* ex Hebræis R. Abarbanelem *in Majene Hajeſchuah. fonte IIX. palm. VI. f. XLV. col. 3.* & *in Comm: ad Eſa. LIII. fol. LXXIIX. col. 4.* in *Comm. ad Ezech. XXXII. fol. CXCIIX. col. 4.* & *ad Hoſ. II. f. CCXXVI. col. 4.* (ubi qvoqve ad *Vatic. VI. lib. ſui Maſchmia Jeſchuah* provocat,) & *ad Zach. XII. fol. CCXCIV. col. 1. 2.* R. Saadiam Gaon *in Sepher Æmunoth orat. IIX. fol. CCCLXXX. col. 4.* R. Mechir *lib. 1. Abhkat rochel part. 1. ſign. VI.* Jalkut *part. II. num. DCXXI. fol. XC. col. 2.* & Jalkut chadaſch *in voce* משיח *fol. CXLI. ſeqq.* (ubi varia videre eſt excerpta ex libris Rabbinicis.) Manaſſen ben Iſrael *in Mikvé Jiſrael p. 78. ſeqq.* E Chriſtianis Raymund *part. II. Pug. Fid. c. XI. fol. 329. ſeqq.* Galatinum *lib. IV. cap. II. fol. 132. ſeqq.* Chriſtianum Gerſon *lib. 1. Summæ Talmudicæ. c. 15. p. 87. ſeqq.* Buxtorf. *Synagog. Jud. c. 36. p. 439.* & *in edit. à filio aucta, c. L. p. 717.* & *in lexico Talmud. fol. 1273.* Hulſium *part. 1. Theol. Judaic. p. 37. ſeqq.* Hoornbeck. *lib. III. de convincend Jud. c. 1. pag. 239. ſeqq.* Coccejum *Conſiderat. Reſponſ. Jud. c. 5. p. 126. 127.* Alting. *lib. III. Schilo c. XVI. p. 202. ſeqq.* Helvicum *append. IV. Elench. Judaic. §. 7. ſeqq.* Müllerum *lib. 1. Judaiſm. c. XXIII. toto. p. 948. ſeqq.* Graſerum

*in verbis ultimis p. 258.* Hottinger. *Compend. Theol. Jud. c. IV. sect. 15. p. 262.* Haksſpanium *cap. II. de ſcript. Rabbin. num. LXXIV. p. 344.* Conſtant. L' Empereur *diſſert. ad Lectorem Clavi Talmudicæ præmiſſâ,* & *in refut. R. Abarbanel & R. Alſchech ad Eſa. LIII. p. 21. 52. ſeqq.* Joſ. de Voyſin *not. ad cap. XVI. Diſp. Cabaliſt. R. Iſrael ben Moſis de anima p. 459. ſeqq.* Vorſtium *animadverſ. in Pirke Elieſ. p. 175. ſeqq.* Ligtfotum *Hor. Hebr. in Matth. p. 3.* &c. Illi igitur Meſſiam primum, ex Joſephi poſteris in lineâ Ephraimi oriundum, *aſino*, ſed alterum, filium Davidis, utpote glorioſiorem, cum *Cœli nubibus* adventurum dicunt. Qvantum verò huic conciliationi ſit tribuendum, ipſum ejus fundamentum, cui innititur, figmentum nempè de duplici Meſſia à plerisq; Chriſtianorum Autorum jam memoratorum ſubrutum, ſatis arguit.

Qvæ modernis Judæis non intellecta, priſcis eadem fuit cum

§. 14. Sunt tamen & inter Chriſtianos, qvi ſaniori ſenſu hæc ita ab antiqvioribus Hebræis judicant conficta, nō qvaſi duos reverâ Meſſias, perſonas putâ diſtinctas, diſpari gaudentes fortunâ, aut aliis atqve aliis parentibus prognatos, obtrudere voluiſſent; ſed ut duplicem unius Meſſiæ adventum, ad paſſionem ſcilicet & ad judicium, aut duplicem unius ſtatum, exinanitionis & exaltationis, allegoricè notarent: qvorum ſententiam prolixè refert Matthias Flacius *part. II. Clav. tr. IV. fol. 407. ſeqq.* non improbatam Hackſpanio *c. II. de ſcript. Rabb. ad Lipmann. n. LXXXV. p. 352.* cujus diſcipulus Sebaldus Snellius apertè tuetur *in Exam. Comm. R. Abarbanel. ſuper Obad. th. 161. p. 124.* Nec certè negari poteſt, multa Veteres parabolis, fabulis & tropicis hujusmodi loqvutionibus involviſſe, qvibus poſteà literaliter acceptis ipſorum poſteri חומץ בן יין *acetum vini proles*, ad incruſtanda impietatis ſua dogmata liberaliter abutuntur. Atqve hoc ut nobis qvoq; patiamur perſvaderi, faciunt illa, Veterum præſertim, loca, in qvibus Zachariam diſertè ajunt de Meſſiâ filio Davidis loqvi, qvalis è Pirke R. Elieſeris (unde paulò pòſt plura depromemus) adducitur in Jalkut *ad Paraſch Vajem part. I. n. XCIIX. fol. XXIIX. Col. 2* & *ad h. l. Zachar. part. II. n. DLXXV. f. LXXXVI. col. 1.* הוא החמור שעתיד בן דוד לרכוב עליו *hic ille aſinus eſt, ſuper qvo futurum, ut FILIUS DAVIDIS vehatur.* Vides Meſſiam בן דוד *filium Davidis* in aſino ſeſſorem! Veterum ergò mens purior recentiorum interpretatione, Zachariam de primo Meſſiæ adventu ſuper

Tertiâ, à duplici Meſſiæ ſtatu.

pau-

paupertino aſino, Danielem verò aut de ultimo ad judicium cum Gloriâ & Majeſtate futuro, aut qvod cum Danielis contextu magis congruit, de adventu aſcenſionis, ſeu glorioſo ejus in regnum ſuum ingreſſu, voluit accipi, qvam citeriores in mera deliramenta converterunt. Unus fortè R. Sahadia Gaon *Comm: in Daniel. VII; 14. fol. CDXC. col. 2.* rem tetigiſſe videtur, modò mens ejus eadem fuiſſet, qvam verba hæc præ ſe ferunt: וארו עם ענני שמיא כבר אינש אתי זהו משיח צדקנו והלא כתוב על משיח עני ורוכב על חמור אלא יבוא בענוה כי לא יבוא על סוסים בגאות ואשר כתב עם ענני שמיא והנה עם ענני השמים הם מלאכי צבא השמים זו היא רוב הגדולה שיתן הבורא למשיח ככתוב עם ענני שמיא אז הוא גדול בממשל: *Qvi hic dicitur venire ſicut filius hominis cum nubibus Cœli, is eſt Meßias Juſtitia noſtra. Annon vero de Meſſia ſcriptum eſt* Zach. IX, 9. *Pauper & eqvitans ſuper aſino? Imò verò veniet utiqve in humilitate, ſiqvidem non venturus eſt ſuper eqvis cum faſtu; Qvod verò Daniel ſcribit, venturum cum nubibus Cœli, per hoc intelligendi ſunt Angeli exercitus Cœli. Hæc nempe ſumma erit Majeſtas, qvam conferet Creator Meßiæ, ſicut ſcriptum eſt: CUM NUBIBUS COELI, h. e. tunc erit maximus in imperio.*

§. 15. Sic itaqve Judæi vecturam aſini nec indecoram Meſſiæ ſuo, nec per alium ejusdem glorioſum, â Daniele prædictum, cum Cœli nubibus adventum tolli animadvertunt: qvare illos circa ipſum aſinum, qvis ac qvalis ſit, ſollicitos videas. Traducebatur aliqvando à Sapore, Perſarum Rege, cujus in Hebræorum libris frequens occurrit mentio R. Samuel tanti inter ſuos, qvanti ipſe Sapor inter gentiles æſtimatus, qvòd Judæi Meſſiam Regem ſuum ſuper aſino, vecturâ Regi parùm conveniente adventum expectent: אמר ליה שבור מלכא אמריתו משיח על חמרא אתי אישדר ליה סוסיא ברקא דאית לי; *Dicebat ei Rex Sapor: Dicitis, Meßiam ſuper aſino venturum, mittam illi eqvum celerem & generoſisſimum, qvem habeo,* uti legitur in Gemara Babil. *Maſſ. Sanhedr fol. XCIIX. col. 1.* Beth Iſrael *part II. fol. CXCVI. col. 4.* Jalkut *part. II. num. DLXXVI. fol. LXXXVI. col. 1.* vel ut Julius Conradus Otto *lib. III. Gali Razia c. IV.* liberiùs paulò tranſtulit? *Num affirmare audes, Meßiam tàm vili apparatu, videlicet inſidentem aſino venturum? qvod ſanè ejus Majeſtati adver-*

Saporis Regis Perſarum ironia de Meſſiâ *Aſino* inſidente.

*adversatur. Ego ipsemet egregiè comtum & phaleratum eqvum mittam, ne omnibus adventu tàm tenui opprobrio & dedecori sit.* Cui Persarum Regi fortè non illepidè ipsa Persarum vox reddi potuisset, qvæ in Rosario Persico Musladini Sadi *cap. II. pag. 89. editionis & versionis Dn. Georgii Gentii* ( ex cujus liberalitate illam possidemus ) habetur:

*O sodalis, multi celeres extingvuntur eqvi:*
*Claudicans verò asinus hospitium salvus contingit.*

Aut etiam illud asini encomium, qvo illum Persæ Leoni ipsi præferunt *ibid. c. 1. p. 55.* facetè dicentes: *Omnium animalium Princeps est Leo, infimus est asinus; nihilominus concordi prudentium sententiâ, asinus, qvi onera bajulat, Leoni homines dilaceranti præstat.*

*Miser asinus etsi qvidem rudis,*
*Propter tamen sarcinas, qvas bajulat, certè venerandus.*

Sed regerebat tunc Rabbi præstantiam & raritatem asini Messiæ, qvâ optimum qvemlibet & generosissimum Regis eqvum vinceret. Ita nempè Judæi haud leviter laudare solent hunc asinum, fastumqve in eo non proletarium somniant. Adeò mentiri mores suos non possunt.

Messiæ Asinus *rudis*, ut cæteri.

§. 16. Naturam qvidem ejus & ruditatem asinis propriam inficiari non audent, & qvod apud Persas in Proverbium abiit: *Asinus Jesu licet Meccam eat, cum eò venerit, etiam Asinus erit*, (uti est in *Proverb. Persic. p. 10.*) de sui qvoqve Messiæ asino concedunt, qvippe cui stupiditatem tribuunt ab Abrahamo Patriarchâ exprobratam. Nam cùm hunc asinum Messiæ, ceu posteà dicetur, eundem faciunt cum eo, qvo Abrahamus filium immolaturus ad montem Moria proficiscebatur, rationem simul, qvare is Ismaëlem & Elieserem, qvos comites dicunt Abrahami, ad radices montis cum asino reliqverit, asininam reddunt stupiditatem, qvæ huic illos asino æqvarit. Fabula recensetur in Pirke R. Elieseris *c. XXXI. fol. XXI col. 2. edit. Pragens.* ex parte repetita in Jalkut Torah *part. I. numer. XCIX. fol. XXIIX. col. 3.* & sic integra sonat: כיון שהגיעו לצופים ראה
כבוד השכינה עומד על גבי ההר שנאמר ביום השלישי
וישא אברהם את עיניו וירא את המקום מרחוק מה ראה
ראה עמוד של אש מן הארץ עד לשמים אמר ליצחק בנו בני
רואה אתה כלום באחד מן ההרים הל לו אמר לו הן, אמר לו מה
אתה

אתה רואה אמר לו אני רואה עמוד של אש עומד מן הארץ עד לשמים והבין אברהם כי נרצה הנער לעולה אמר לישמעאל ולאליעזר רואים אתם כלום באחד מן ההרים הללו אמרו לו לאו חשב אותם כחמור ואמר להם שבו לכם פה עם החמור אמר להם כשם שאין החמור רואה כלום כך אתם אינכם רואים כלום שנאמר ויאמר אברהם אל נעריו שבו לכם פה עם החמור עם הדומה לחמור: *Postqvam pervenerunt Abraham, Isaac, Ismael & Eliezer ad Zophim, vidit Abraham gloriam Majestatis Divinæ super monte Moriâ stantem, sicuti dicitur* Genes. XXII, 4. *Die tertio sustulit Abraham oculos suos, & vidit locum* (NB. המקום Rabbinis & *locum* & *DEUM* notat, vid. Eliam Levitam in *Thisbi p. 101. edit. Fagianæ*, Hackspan. *de Cabb. Jud. §. XCIX. p. 384. &c.*) *è longinqvo. Qvid vidit? Vidit columnam ignis à terrâ ad Cœlum usq; pertingentem. Tunc interrogavit Isaacus filium suum. Mi Fili, inqviens, videsne aliqvid in aliqvo istorum montium? Cui ille: Ita, inqvit. Sed qvid vides? ait pater; cui ille: Video, inqvit, columnam ignis à terra usq; in Cœlum pertingentem. Tunc intellexit Abraham, qvod DEO gratus acceptusq; esset puer ad holocaustum. Interrogavit verò Ismaelem etiam & Elieserem: Videtisne vos qvoq; aliqvid in qvodam istorum montium? Cui illi: Non, respondebant. Is ergò illos similes asino reputavit, dixitq; illis: Manete hic cum asino. Dicebat enim: Qvemadmodum hic asinus nihil qvidqvam videt, ita neq; vos videtis qvicqvam. Hoc est, qvod dicitur: Et dixit Abraham ad pueros suos, manete hic cum asino, ubi eos voculâ* CUM *suo asino æqviparat.* Nihil ergo asinus hic ruditate aliis cedebat.

§. 17. Aliqvot interim prærogativas ei comminiscuntur, qvas utrum simpliciter & ad literam, an mythicè mysticeq; intellectas velint, parum in præsenti attendimus, solâ earum comemoratione contenti. R. Abarbanel *Perusch hattorah fol. LXXIV. col. 2.* cùm partem earum aliqvam in qvæstionibus attigisset, eam posteà in Commentario expositurus, *qvæst. IX.* apertè fatetur: הוא מאמר צריך על ביאור כי רחוק וקרוב הוא לנמנע לשיפורש כפי פשוטו: *Tota illa narratio necessariò expositione commodâ stabilienda est, siqvidem planè est impossibile, ut juxta literam suam exponatur.* Sed inqvirat in hæc mysteria paulò intimius, cui volupe est, & vacat. Laudant (1) ejus *Natales*, & fingunt esse בן האתון שנבראת בערב שבת בין

ejus prærogativæ.

qvoad Natales

בין השמשות *filium illius asinæ, quæ creata fuit in crepuſculo veſpere Sabbathi.* Ita Pirke Elieſer *c. XXXI. fol. XXI. col. 1.* Jalkut *part. I. in Legem, num. XCIIX. fol. XXIIX. col. 2. & part. II. in Prophet. num. DLXXV. fol. XXCVI. col. 1.* Intelligunt verò aſinam Bileami, genero-ſam utiq; parentem, loqvelâ celebrem *Numer. XXII, 28. 30.* & in Chronico Samaritano MSC. Bibliothecæ Lugduno-Batavæ apud Hottinger. *in Ennead. Diſſert. Heidelb. Diſſ. II. p. 53.* ſingulariter commendatam: והו ראכב על אתאנתה מפתכרא בהא לאהל אלעלם אנהא לא יהתאג מעהא אלי דליל ולא אהתאג אן יצרבהא: *Ille autem,* Bileamus, *vehebatur aſinâ ſuâ, qvâ ſuperbiebat apud Sapientes, utpote cum qvâ non opus habebat ductore viæ, neq; ut verberibus eam moneret officii.* Hanc enim inter decem illas res numerant, qvas in veſperâ Sabbathi omnium primi circa crepuſculum à DEO creatas recenſent in Pirke Abhoth *c. V. fol. XXX. col. 1.* Pirke R. Elieſer *c. XIX. fol. XII. col. 4.* Talm. Babil. *Maſſ. Peſachim c. IV. fol. CLIV, col. 1.* Targum Jonathæ *ad Numer. XXII. 27.* & paſſim alibi, enucleatiùs poſt R. Majemonidem & R. Bartenoram, utrumq; *in Commentariis ad Miſchnam junctim editis fol. CCXIIX. col. 1.* traditas à Fagio *notis ad Pirke p. 100.* & Leuſdenio *in not. p. 81.* qvorum hic omnibus obvius nos deſcribendi labore liberat; ille hæc qvidem addit aliqvo modo ridicula & ſtulta videri, ſed ſuis non carere myſteriis, alibi abs ſe evolvendis, qvod tamen inſtitutum, ut alia Viri doctiſſimi molimina, mors præmatura intercepit. (2.) *Seſſores* & dominos ejus vecturâ uſos, qvos ante Meſſiam fuiſſe volunt Moſen, ante Moſen Abrahamum. הוא החמור שחבש אברהם אבינו לעקוד את יצחק בנו שנאמר וישכם אברהם בבקר ויחבוש את חמורו הוא החמור אשר רכב עליו משה רבינו בבאו למצרים שנאמר ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור הוא החמור שעתיד בן דוד לרכוב עליו שנאמר גילי מאד בת ציון הריעי בת ירושלים הנה מלכך יבא לך צדיק ונושע הוא עני ורוכב על חמור ועל עיר בן אתונות: *Hic idem ille aſinus eſt, qvem ſtravit Abrahamus Pater noſter ad ligandum immolandumq; filium ſuum Iſaacum, qvemadmodum dicitur* Gen. XXII, 3. *Et mane ſurrexit Abrahamus & ſtravit Aſinum ſuum. Hic idem ille aſinus eſt, ſuper qvo Moſes Magiſter noſter vehebatur in itinere ſuo Ægyptiaco, prout dicitur* Exod, IV, v. 10.

Dominos & ſeſſores.

*Et*

*Et accepit Moſes uxorem ſuam & filios ſuos & vehi illos fecit aſino. Hic idem ille aſinus eſt, cui olim Meſſias filius Davidis inſidebit, ſecundùm id, qvod dicitur* Zach. IX, 9. *Exulta valdè filia Zion, clange filia Jeruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator: hic pauper & eqvitans ſuper aſino & ſuper pullo filio aſinarum.* Ita Pirke Elieſer *c. XXXI. fol. XXI. col. 1.* Jalkut *locis citt.* Raſchi *ad Exod. IV, 20. fol. LXI. col. 1.* R. Abarbanel *Comment. in Legem fol. LXXIV. col. 2. edit. Venet.* (3.) *Ætatem*, qvâ ſilicernium qvodvis aliqvot annorum millenariis ſuperet; Cùm enim aſinæ Bileami in mundi exordio jam creatæ pullum fore docuerint, eumq; ante Abrahami tempora excluſum, ſanè adveniente aliqvando Meſſiâ, poſt tot ſeculorum decurſum prodigioſæ ſenectutis aſinum eſſe oportet. **Ein ſehr alter Eſel!** (4.) *Colorum varietatem*, ſimulq; *ipſius aſini generoſitatem.* Utramq; intendiſſe videtur R. Samuel in Sanhedrin *loco §. 15. citato*, dum בר חיוור גווני vocitat, cùm Rex Perſarum, מגלגל הויא ut Gloſſa inqvit, h. e. *ut Judæis illuderet*, eqvum generoſiſſimum ſe adventuro Meſſiæ obviam miſſurum promiſiſſet. Reſpondebat enim Rabbi: מי אית לך בר חיוור גווני *numqvid tibi eſt bar chivvar gavvane?* Qvod ſic interpretatur Gloſſa: יש לך סוס בר מאה גוונין שחמור שלו כן הויא *Eſtne tibi eqvus centum coloribus præditus, qvalis eſt illius aſinus?* additq; vocem חיוור *chivvar* notare מאה בלשון פרסי *centum in Lingvâ Perſicâ.* Chaldæis aliàs *album* ſeu *candidum* deſignat, & in Targum *Zach. VI, 3.* de ipſis etiam eqvis legitur: סוסין חיורין pro qvo in Hebræo eſt סוסים לבנים *eqvi albi* vel *candidi:* Sed credendum hic Judæis, optimis verborum ſuorum interpretibus; at cur de pretio centum florenorum acceperit Jul. Cunrad. Otto *in Gali Razia lib. III. c. 4.* qvando vertit: *Habesne tàm generoſum Eqvum qvi centum florenis vendi poſſet, adeoq; Meſſiæ perſonâ dignus eſſet?* conjecturâ aſſeqvi non poſſumus. Nam גוון & גוונא *colorem* ſignificat, ut in Targum priori *Eſther I, 6.* cum aulæa byſſina de arboribus ſuſpenſa & expanſa גוון חיוור *coloris albi & candidi* fuiſſe dicuntur, qvo loco ſimul vocem חיוור illi junctam cernis in *albedinis* ſignificatione, in qvâ mox ibidem de עמודי מרמרין חיוורין *columnis albi marmoris* redit. Erit ergò Aſinus centuplici colore varius, qvo generoſitatem unà connotare Samuelem voluiſſe, Regis cavillum arguit, generoſitatem eqvi Meſſiæ ſervitio deſtinati commendans.

Ætatem.

Colorem & generoſitatem.

חיוור qvid?

ברקא & ברקא qvid?

Qvanqvam ibi varia codicum lectio occurrit, observante Glossâ Talmudicâ, & alii qvidem סוסיא ברקא habeant, per ר, qvod סוס מסורק ומכוון ונאה *eqvum pectinatum, benè compositum & elegantem* interpretatur, qvasi splendidum, & gemmis aliisq; regiis ornamentis coruscantem & veluti fulgurantem; alii verò סוסיא בדקא per ד, qvōd exponit סוס בדוק לרוץ *eqvum exploratum ad currendum*, h. e. exqvisiti incessûs & cursûs; qvamcunq; tamen lectionem seqvaris, ejusmodi innuitur eqvus, qvalis Regiam Majestatem decet; at centies nihilominus vel generosissimam hanc oblati eqvi virtutem à virtutibus illius asini superari gloriabatur.

Usus dictorum contra Judæos.

§. 18. Hucusq; Judæorum placita de Asino Messiæ, qvæ qvaliacunq; demum sint, multum in palmariâ qvæstione de Messiæ adventu ad convincendos Judæos conferunt. Nam sic vecturam asini, humilitatis notam, inter Messiæ characteres reponendam esse, eandemq; non solam qvidem, at cum aliis κριτηρίοις in V. T. annotatis junctam de adventu ejus testari posse, largiri coguntur, qvibus si ingressum *JESU CHRISTI* in urbem Jerosolymam ad eundem planè modum, qvem Zacharias prædixit, compositum obvertas, ita se constrictos sentiunt, ut exire inde neqveant. Observavit hoc Chrysostomus *Homil. LXVII. in Matth. fol. 583. 584. edit. Comelin.* tot licet confessionum Judaicarum, qvales produximus, nondum ita gnarus: Ἴδωμεν δὲ καὶ τὴν προφητείαν, inqvit, τὴν διὰ τῶν ῥημάτων. Τίς οὖν ἡ προφητεία; ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πρᾶος καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον. οὐχὶ ἅρματα ἐλαύνων ὡς οἱ λοιποὶ βασιλεῖς. οὐ φόρους ἀπαιτῶν, οὐ σοβῶν καὶ δορυφόρους περιάγων. Ἀλλὰ πολλὴν τὴν ἐπιείκειαν κἀντεῦθεν ἐπιδεικνύμενος. Ἐρώτησον τοίνυν τὸν Ἰουδαῖον, ποῖος βασιλεὺς ὀχούμενος ἐπὶ ὄνου ἦλθεν εἰς Ἱερουσαλήμ; ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοιεν εἰπεῖν, ἀλλ' ἢ τοῦτον μόνον. *Videamus jam Prophetiam verbis traditam*; (Superius enim de προφητεία δι' ἔργων dixerat, eamq; τὴν διὰ τῆς καθέδρας τῆς ὄνου vocaverat, huic jam subjungit προφητείαν διὰ ῥημάτων:) *Qvænam igitur est hæc Prophetia? Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus, ascendens super jugalem & pullum novum: Non currus agens, ut cæteri Reges, non vectigalia exigens, non tumore elatus, nec satellitibus stipatus; sed magnam undiq; monstrans humilitatem. Interroga igitur Judæum, qvisnam Regum asino vectus Jerosolymam venerit? neminem profectò dicere possunt,*

*præter*

*præter hunc solum*. Postqvam ergô hactenus sic satis ea expedivimus, restat ut ad Vaticinii Zachariani complementum ab Evangelista descriptum accedamus, qvæq; ibi mota sint ab interpretibus dubia, discutiamus. Non tamen omnia dicturi sumus, sed ea tantùm, in qvibus vulgò Interpretes tantùm non omnes cùm maximè hallucinatos offendimus. Horum duo sunt, & alterum *sessorem asini CHRISTUM* seu ipsam potiùs *vecturam asini*, alterum *vectorem asinum* concernit, qvorum *illud* Judaica veterum rituum historia, *hoc* phraseologia Hebraica planum faciet.

Vaticinium Zachariæ in Jesu nostro impletum.

§. 19. De ipsâ vecturâ qværitur: *Utrum in se gloriosa, an despecta & contempta fuerit?* vel qvod idem est: *Num Christus splendorem Regium, an sui contemptum qvæsiverit hoc ipso, qvòd asinando urbem ingredi voluit? ASINANDO*, inqvam, qvâ voce Luitprandus *in histor. suæ Legation.* utitur: *Asinando, ambulando, eqvitando Naupactum veni.* Nam ut ab Eqvo *eqvitare* dicimus, sic & ab Asino *asinare* dici, pro vehi asino, ostendit Novarinus *lib. XII. Schediasm. sacro-profan. c. V. fol. 341.* an rectè dispiciant, qvibus hæc Philologia curæ est. Cæterùm qvod ipsam qvæstionem spectat, nos neutrum asserimus, etsi gravissimi viri alterutrum sibi statuendum eligunt. Et ne moremur illud Postillatorum vulgus, qvi ut Regio CHRISTI in Urbem ingressui Majestatem concilient, totam dicendi artem excussâ omni, qvam possident, orationis supellectili, in laudem vecturæ hujus asininæ cum Salomonis eqvitatu *1. Reg. I, 33. seqq.* ut plurimùm collatæ effundunt: ipse, qvod miramur, Hottingerus *de δοκιμασίᾳ Abrahami in Ennead. p. 53.* cùm Abrahamum cæteris jumentis, camelis præsertim, instructissimum ad iter suum in montem Moriah cum filio faciendum, dixisset elegisse asinum *Gen. XXII, 3.* qvòd dignitatis esset indicium, non contemptus; ad hanc Christi qvoq; vecturam delatus, eum, inqvit, asino vectum, *Majestatis potius, qvàm contemptûs indicio.* Ad qvod firmandum librum Judicum in partes vocat, è qvo non inglorium fuisse apud veteres hoc vecturæ genus constet; nam & Judices laudari in Deboræ cantico *Judic. V, 10.* qvod אתונות צחורות *asinis nitidis* incesserint, & Judicum filios על עירים *asellis* vectos commendari *cap. X, 4. XII, 14.* Sed ignoscant Viri Doctissimi manes, si parùm ad temporum & rerum statum attendisse illum dixerimus. Priscis sanè illis Judicum temporibus non diffitemur summæ dignati-

Qvæst. I. An CHRISTUS vecturâ asini *splendorem regium*, an *sui contemptum* intenderit?

Negatur prius.

onis viros asinis insedisse; sed nec Davidis tempore ingloriam fuisse, vel Regi minus convenientem, vecturam Asini, nos Ziba docet, dum asinos Davidi Regi לרכוב *ad vehendum* donat *2. Sam. XVI, 2* Qvod enim hodiè nobis eqvi servitium præbent, qvibus & Magnates superbire,&incedere plebejos videas nullam inde gloriam aucupantes id simplicioribus illis Reipubl. Hebræorum temporibus præstabant asini, qvorum promiscuum usum observamus *Exod. IV, 20. Jos. XV, 18. Judic. I, 14. 1. Sam. XXV, 20. 2. Sam. XVI, 2. XIX, 26. 1. Reg. XIII, v. 13. &c.* At postqvam Imperium gloriosius eminuit Salomonis Majestate, eqvos etiam ad regium splendorem & terrorem hostium multiplicantis *1. Reg. IV, 26.* vix amplius Regem asinus decebat, neq; ullibi legimus post illud tempus, tùm ante tùm post captivitatem Babilonicam ad CHRISTI usq; ætatem, Regem asino vectum, tantùm abest, ut signum Majestatis vectura hæc tùm fuerit, cùm rerum jam Romani potirentur, & simul eorum luxus, de qvo vid. Joan. Meursium *in Româ luxuriant. c. XI. p. 43.* Judæam occupasset.

& posterius.

§. 20. Contrà tamen non est, cur in alterum extremum de'abamur, & sui contemptum despectumq; CHRISTUM qvæsivisse dicamus. Qvanqvam enim ingressus hic à Majestate & pompâ Regum terrenorum qvàm longissimè abfuit, qvorum nullus asino, eoq; conductitio in tantam Regiam & Metropolin, qvanta Jerosolyma erat, spectante & acclamante populo fuit vectus; non tamen propterea infamiæ maculis aspergendus, aut ipse CHRISTUS hoc genere vecturæ usus in sordidum mendicorum numerum reponendus, à qvâ qvidem ignominiâ dum eum rectissimè vindicat Dn. D. Varenius, nescio an non ad prius illud extremum nimiùm propendeat. Videatur ipse *Decad. XIV. in Gen. Loc. II. concl. 2. p. 626. 627.* simulq; conferatur B. Jo. Tarnovius *Comment. in Zach. IX, 9. p. 233.* Nos medium tenemus, & inter utrumq; gentis Iocamus consvetudinem, qvæ viatoribus ad iter feliciùs absolvendum asinos commodabat. Privatorum hæc fuit commoditas ab omni cùm infamiâ tùm contemptu remota, qvam CHRISTUS, cujus regnum non erat de hoc mundo *Joh. XIIX, 36.* arripere haud dubitavit, ut naturam sui Regni à pompâ terrenorum Regum alieni adumbraret. Ut ergò magnifica ibi secularis Majestatis elogia derogamus asino: Sic neq; hîc probare possumus hæc accurrati cætera Scripturæ Interpretis B. Franzii *Orac.*

Asseritur tertiũ, qvod datur inter utrumq;.

*CXIII.*

*CXIII. de script. interpr. p. 684.* qvibus eqvitatum CHRISTI puerilem, stultum, ridiculum & contemptissimum interpretatur: *CHRISTUS*, inqvit, *ut daret occasionem, per qvam universa, cuncta & singula individua adspectandum plus & magis, ut in ridiculis rationi visis fieri solet, concitaret, tàm puerili, stulto & contemptissimo eqvitatu, per civitatem & per media hostium agmina in templum usq; utitur.* Et mox *p. 685. Non tantùm sufficere debuit ipsi illa ineqvitatio, stulta visa*, &c. Et initio hujus oraculi *p. 675. Qværitur*, inqvit, *propter qvam caussam Dominus Dominantium & Rex Regum in urbem istam adeò magnificam & circa festum Paschatos peregrinis scatentem, tàm vili & tàm contempto animali voluerit ingredi?*

§. 21. Qvòd si qvidem ad nostros & aliarum qvarundam gentium mores respicimus, negandum non est, in opprobrium qvandoq; asinis imponi, & circumduci, qvi contemptim habentur, qvalem injuriam Maximiliano Cæsari Sabellicus scribit Hispanos & Germanos Brixiæ arctissimâ obsidione pressos intulisse, cùm nullam in eo spem haberent: nam *morionem asino impositum* Imperatoriis insignibus atqve aqvilis ornatum lagenas collo suspensas deferentem, per urbem deduxisse, & pro Cæsare, qvasi ipsis auxilio advenisset, temulentiùs, qvàm qvisqvam crederet, fœdis acclamationibus salutasse. Aliud exemplum, idq; & antiqvius & multò truculentius observat Novarinus *l. XII. Schediasm. Sacro-prof. c. XX. f. 352.* adducitq; verba Pauli Aqvilegiensis Diaconi ex *l. XXII. Hist.* qvibus illud enarrat: *Postero die*, inqvit, *cum ludi Circenses agerentur, raserunt faciem ejus, & barbam denudaverunt, capitis & superciliorum pilis ablatis; Et indutum hunc laneo brevi, ac sine manicis vestimento, sedere fecerunt SUPER ASINUM sagma ferentem, & ipsius tenere caudam, & duxerunt per Tippiũ in Hippodromũ, cuncto populo imprecante illi mala & conspuente. Trahebat autem asinum Constantinus Nepos ejus, naso reciso: cumq; venisset ad vulgus, descenderunt & conspuerunt & pulverẽ projecerunt super ipsũ.* Imò antiqvioribus adhuc temporibus probrosam asini vecturã apud Cumanos solennem adulterii pœnam fuisse, autor est Plutarchus *in Problemat.* Apud hos enim mulier in adulterio deprehensa in forum ducebatur, ut certo lapidi insistens ab omnibus conspiceretur: deinde *impositam asino*, atq; ita per totam civitatem circumductam reducebant ad lapidem, ut ibi rursum omnibus esset spectaculo. His

Asini vectura qvibusdam gentibus probrosa.

peractis habebatur infamis per omnem vitam, & ignominiæ caussa ὀνοβάτις dicebatur, qvod *asinum eqvitasset*. Conf. Erasmus *in Chiliad. fol. 308. col. 1.* Dilherr. *Eclog. sacr. dict. VI. p. 228.* Cui parùm absimilem pœnam in multis Europæ locis obtinere, Aldrovandus *lib. I. de qvadruped. c. II. fol. 166.* scribit, in qvibus gravioris alicujus peccati reos, *asinis insidentes* per plateas & fora vectos, virgis cædere lictore post terga hærente soleant. Unde etiam promanasse putamus illam militum pœnam, qvâ ad *asinum ligneum* in foro aut alio loco publico positum damnantur, cui propemodum qvotidie insidere qvendam reum, ac sæpiùs plures videmus in iis urbibus, qvæ præsidio gaudent.

Aliis indifferens.

§. 22. Enimverò obtineat hîc, qvod Nepos *in præf. ad vitas Excell. Imper.* monebat, *non eadem omnibus esse honesta atqve turpia, sed omnia Majorum institutis judicari.* Neqve enim dedecori esse fœminis Bononiensibus, non eqvis, sed asinis vectas affines suos visitare, qvod, cùm nunqvam cespitet asinus, commodiorem tutioremqve vectionem polliceatur, observat Petrus Bellonius *lib. XVII. Observat. cap. 5.* ac hodienùm in viâ, qvâ Bononiâ Loretum itur, asini peregrinantibus ad complendam sui itineris partem aliqvam certo pretio passim prostant: qvæ sanè commoditas iter facientibus nihil vel Majestatis vel contemptûs conciliat.

Asini conductitii circa Jerosolymam.

Hujusmodi verò asinos conductitios in Palæstinâ qvoqve circa Jerosolymam & alia montosa cumprimis loca iter ingressis passim serviisse, testantur consvetudinis ejus vestigia in Talmudico Hebræorum Jure, cùm de conditionibus agitur, qvibus tenebatur asini ad iter adhibendi conductor, sive ipse ei insidere, sive onera in urbem importanda imponere vellet. Locus geminus est in Mischnâ Massech. *Baba Meziha*, & alter qvidem de iis loqvitur conditionibus, qvæ servandæ essent, si eqvitatui serviret asinus, & legitur *cap. VI. Mischn. III.* Operis Talmudis Babilonici *fol. LXXIIX. col. 1.* & in Talmude Jerosolymitano *part. IV. f. X. col. 4. edit. Venet.* & in Mischnajos cũ Rambam & Bartenorâ Rivæ detriento Anno 1559. editis *fol. CLXXII. col. 1. 2.*

Leges de iis Talmudicæ.

השוכר את החמור להוליכו בהר והוליכו בבקעה בבקעה והוליכו בהר אפילו זו עשר מילין וזו עשר מילין ומתה חייב השוכר את החמור והבריקה או שנעשית אנגריא אומר לו הרי שלך לפניך מתה או נשברה חייב להעמיד חמור השוכר ארית החמור להוליכה

להוליכה בהר והוליכה בבקעה אם החליקה פטור ואם הוחמה חייב להוליכה בבקעה והוליכה בהר אם החליקה חייב ואם הוחמה פטור אם מחמת המעלה חייב: *Qvi asinum conducit, ut iter cum eo faciat per montana, & incedit cum eo in planicie; aut ut in planicie incedat, & transit cum eo montem, etiam, si decem milliaria sive hic, sive ille conficiat, & asinus moritur, is tenetur damnum restituere. Qvodsi qvis conducit asinum, qvi oculorum suffusione* (vel, ut qvidam vocem הבריקה, aut, ut aliæ editiones habent, הבריקה teste R. Bartenorâ *ad h. l.* exponunt, pedum qvodam morbo) *laborat, aut qvi ad opus servile publicum adhibetur, &* (is qvi exponit) *ait illi: ecce vicinus est coram te*, (h. e. vel alius asinus hujus loco exponendus, vel vicinus, à qvo mutuò petere potes alium asinum, & is nihilominus hunc conducit) *& asinus moritur, aut frangitur, tenetur* (conductor) *domino restituere asinum. Qvi conducit asinum, ut iter cum eo faciat in monte, & eo in planitie utitur, si labitur asinus, liber est conductor à resarciendo damno; sin incalescat, reus est, & damnum restituere tenetur. Qvòdsi conduxerit ad usum in planicie, & utatur in monte, si labitur, reus est; sin incalescat, liber, nisi fortè ob montis altitudinem, qvem adscendere debuit, incaluerit, tunc enim conductor reus est.* Alter locus mox in eodem capite utriusqve Talmudis *Mischn. V.* seqvitur, sed in Talmude Babilonico *fol. LXXX. col. 1.* & de Jure asini ad onera portanda conducti agit: השוכר את החמור להביא עליה חיטים והביא עליה שעורים חייב תבואה והביא עליה תבן חייב מפני שהנפח קשה למשאוי להביא לתך חטים והביא לתך שעורים פטור ואם הוסיף על משאו חייב וכמה יוסיף על משאו ויהא חייב סומכוס אומר משום רבי מאיר סאה לגמל שלשה קבין לחמור: *Qvi asinum conducit, ut advehat super illo triticum, advehit autem hordeum, reus est*, (si asinus damnum patiatur.) *Qvi conducit ut advehat frumentum, advehit autem stramen aut paleam, similiter reus est, siqvidem ille tumor molestiam oneris aggravat. Qvi conducit, ut certam mensuram tritici advehat, advehit autem eandem mensuram hordei, liber est; Sin verò oneri qvid superaddat, reus. Sed qvantum superaddet oneri, ut reus fiat? Symmachus respondet ex sententia R. Mejeri: si Seam addat Camelo, & tres cabos asino.* Conferatur ad priorem cumprimis Mischnam utraq; Gemara *foliis ex utroq; Talmude citatis.*

§. 23.

§. 23. Non ergo dubitandum, qvin verſus eam urbis partem, qvâ mons Oliveti ſitus erat, tales aſini in uſum viatorum Olivetum tranſire cupientium præſtò fuerint, cumqve mons ille in varios tractus diviſus eſſet, varia qvoqve prædia & diverſoria paſſim extiterint, in qvibus habitarint, qvi mercenarios hujusmodi aſinos alerent. Et tale prædium erat in *Bethphage*, qvò CHRISTUS jam pervenerat, h. e. in illo montis olearum tractu, qvi alteri illi *Bethania* dicto conjunctus erat. Non enim oppidum, hîc certè, ſed magnum montis tractum ad ipſa montis mœnia ſe porrigentem, hoc nomine appellari, contra pervulgatam opinionem Hebræis Autoribus luculenter demonſtrat Jo. Ligthfoot *in Centur. Chorogr. c. XXXVII. p. 75. 76.* qvod qvia interpretes hactenus ignorarunt, tot ſe difficultatibus hinc emergentibus expedire neqviverunt. Huc igitur cùm veniſſet CHRISTUS urbem aſino ingreſſurus, τὴν κώμην h. e. *vicum illum* ſeu *prædium*, in qvo aſini viatores montem olearum tranſituros expectabant, digito oſtendit diſcipulis eò ablegandis, ipſumqve adeò qvippe vicinum è regione ſitum, utut nomine fortè ſuo non caruerit, haud nominat, ut fruſtra Grotius *in Matth. XXI. fol 352.* & pleriqve alii poſt Juſtin. Martyrem *Dial. cum Tryphon. fol. 272. edit. Pariſ. Anno 1615. Græco Latinæ*, ſeu juxta editionem *Latinam Baſilienſ. de Anno 1565. Tom. II Opp. fol. 100.* dicant fuiſſe *Bethphagen* hîc memoratam, ſed profectò τῇ κώμῃ *villæ illi*, vel ut vulgatus tranſtulit, *caſtello*, è qvo aſina cum pullo adduci debebat, ſic contradiſtinctam, ut qvi peregrinatibus loca ſancta hodiè deſcribunt, & Bethphagen ſibi oppidum aut vicum perſvadent, diſtincta loca circa qvartum milliaris ab invicem diſtantia, hoc procul dubio textu moti demonſtrant, & hunc, vulgò *Caſtellum contra vos*, ſive *Aſinæ* appellant, etſi nulla utrobiqve, nec Bethphages, nec Caſtelli hujus, ne vel fundamentorum qvidem memoria cernitur, ſed ea, uti inqviunt, in mentibus fidelium conſervatur. Ita Perdiccas Epheſius *in Ecphraſi thematum Dominicor. Hieroſolymit.* qvam *parti. 1.* σ*υμμίκτων* Leonis Allatii inſertam Nihuſius edidit *p. 72.* cùm primùm de Bethphage, mox de Bethaniâ egiſſet, de hoc qvoq; prædio addit:

Τούτου τοῦ ὄρους ἀντικρὺ πρὸς νότον τὸ μέρος
Καὶ ἣ τὴν ὄνον ἄξασα καὶ πῶλον σμικρὰ κώμη.

h. e.

*Bethphage*, nomẽ integri tractûs, non villæ aut oppidi.

h.e. *E montis hujus regione ad australem partem,*
*Est etiam, qvi asinam egit & pullum, parvus vicus.*

Seu, ut Fed. Morellus transtulit:

*Est collis è regione ad Austri flamina*
*Vicus pusillus, unde asella & pullus est*
*Abductus.* --- --- ---

Dum itaqve CHRISTUS vult asinum sibi inde afferri, nihil novi parat aut insoliti, qvantum ipsum vecturæ genus attinet, sed uti promiscuè plurimi ex itinere lassi huc advenientes, asinos commodato accipiebant, qvibus vel ipsi insidentes transcendebant montem, vel onera in urbem portanda imponebant: Ita CHRISTUS similiter tantum iter hucusqve pedes emensus, per montem in urbem usqve illud asino conficere cupiebat. Qvod sic de more gentis factũ Historiæ CHRISTI Persico idiomate abs se conscriptæ, magnoqve Mogolensium Imperatori Acabaro oblatæ Hieronymus Xaverius *part. II, de Mirac. & Doctr. ejus p. 388. 389.* infarsit, è Lirani glossâ, ut conjicimus, haustum, eum nempè restituisse inqvit asinos ipsorum Domino, qvod *impotentes & pauperes iis vecti, Hierosolymam ascenderent, indeq; reducerent:* qvo nomine qvidem vapulat à Ludov. de Dieu *in animadvers. in excerpta Xaverian. p. 615.* qvòd tanqvam compertum id Evangelicæ historiæ attexuisset, cùm incerta hæc sit alicujus fortassis opinio; nos tamen certum atq; exploratum dicere, per hactenus dicta non dubitamus.

§. 24. Fatemur interim, multos Divinæ Majestatis, Omnipotentiæ & Omniscientiæ radios in toto hoc opere CHRISTUM emisisse, nec caruisse vecturam hanc asininam mysteriis, utpotè non in se qvidem, ut diximus, at certè respectu CHRISTI insolitam, qvi cùm nullibi legatur eqvo vel asino iter fecisse, hìc tamen ultimùm Jerosolymam, ut plenissimum ibi pro genere humano λύτρον persolveret, perrecturus, nec adeò longo ab urbe intervallo remotus, non pedes suo more, sed asino insidens exiguum, qvod restabat, spatium itineris ultimi conficere voluit. Fatemur etiam, non convenisse eqvitatum hunc, nihil Regii minatum, cum jubilo & applausu populi, cæterisqve devotionis ac subjectionis symbolis, cum qvibus privatorum more humiliter advenientem, veluti Regem excipiebant.

Vindicatio nostræ assertionis de asino mercenario pro more gentis à CHRISTO usurpato.

bant. At, qvi propterea vel ipsum asinum, qvo Jerosolymam vehebatur, Majestatis dixerit indicium, vel præter mysteria nihil aliud hîc qvæsiverit, næ ille innumeros, & plebejos qvidem plures, qvi eandem hanc itineris sui commoditatem qvotidiè amplectebantur, Majestate insigniverit, & in illorum qvoqve commodatis asinis opus habuerit mera mysteria fingendi. Aut è contrario, si pro contemptûs signo habuerit asininum eqvitatum, ad morionum fortè, aut pœnæ alicujus reorum ignominiam relatum, næ plurimos illius temporis peregrinantes, etsi non illustri vel nobili loco natos, qvos qvidem promiscuè omnes excipere vix poterimus, honestos tamen plerosqve infamiâ notarit, & pœnas sibi finxerit dedisse sine reatu ἑαυτȣ̃ς τιμωρȣμένȣς. Veneremur potiùs humilitatem CHRISTI in Majestate, & Majestatem in mansvetudine, atqve agnoscamus sapientiam DEI, JESUM nobis Regem nostrum si. asserentis, qvi cùm instar plebeii asino mutuatitio adveheretur mansvetus, ut nihil cernerent Judæi, qvod non qvotidianum esset, nec ideò in aliis attenderent, ab ipsis tamen, & numerosâ qvidem turbâ cum tanto applausu & veneratione excipiebatur, Rex salutatus ab iis, qvi nihil Regii in ejus adventu observabant. Qvod qvia fore prædixit Zacharias, ad cujus vaticinium corroborandæ fidei nostræ gratiâ Evangelistæ Matthæus *cap. XXI, 4.5.* & Johannes *cap. XII, vers. 14.15. 16.* historiam persequvuti provocant, nostrum est utiqve, ingressum hunc piè devotèqve contemplari, collatisqve inter se vaticinio & complemento, JESUM Bethlehemi natum & Nazarethi educatum, verum atq; unicum Messiam Patribus olim promissum, nobisqve tunc exhibitum agnoscere. Qvâ de re digna sunt B. Lutheri verba, qvæ ex *Enarrat. h. l. fol. 6.* huc transscribantur: *Qvid habet*, inqvit, *hic ingressus, qvod Regem deceat? At fidei hæc natura est, ut neqvaqvam secundùm qvod videt aut sentit, sed secundùm qvod audit, judicat, idq; qvod auditu verbi Divini perceperit, seqvitur solùm. Qvare hîc qvoqve nulli CHRISTUM agnoverunt, nisi qvi verbum Prophetæ seqvuti, in ipsum crediderunt, regnumqve ejus haudqvaqvam oculis, sed Spiritu metiti sunt & susceperunt, qvi & veræ Filiæ Zion erant.* Hucusq; Lutherus.

Qvæst. II. An CHRISTUS *asina*

§. 25. Jam ut ad alterum deveniamus, qvandoqvidem Matthæus duo jumenta, asinum & pullum, tùm postulata à CHRISTO,

tùm

tùm à discipulis adducta scribit, cæteri verò Evangelistæ solius pulli meminerunt, de *asino* etiam *vectore* cœptum est disqviri: *num CHRISTUS utriqve insederit, an alterutri?* &, si hoc, *utrum asinæ, an pullo?* Ac de posteriori qvidem res manifesta erit, modò circa prius qvæsitum convenerit, cui decidendo tres amovendæ sunt opiniones, qvarum *una* ex asinâ & pullo unum animal conflat, *altera* CHRISTUM utriqve, sed per vices, primùm asinæ, deindè pullo, vel contrà primùm pullo, deinde asinæ, insedisse tradit, *ultima* tandem fingit simul utroqve miraculosè vectum. *Prima* apertè falsa est & historiæ *διαῤῥήδην* contradicit: *Secunda* utcunqve probabilis, sed verbis Matthæi & Zachariæ rigorosiùs acceptis superstructa, ac difficulter cum reliqvorum Evangelistarum textu concilianda: *Tertia* verò planè puerilis & ridicula.

*& pullo, an verò soli pullo insederit.*

§. 26. Qvi *primam* tuentur, illi voculam ΚΑὶ in verbis ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον non copulativè: *super asinâ & pullo*, sed exegeticè: *super asino i. e. pullo*, accipiunt, qvasi posterius solùm explicet, qvalem ὄνον seu asinum scriptura Θεόπνευςος intelligat, nempè non qvemvis vetulum, sed πῶλον i. e. *juvenculum* & *pullum*, ipsumqve adeò nomem ὄνος non in fœminino *asinam*, sed masculino genere *asinum* reddunt. Qvod ut melius intelligatur, verba Calixti recensebimus ex *lib. V. Concord. Evang. cap. XXXII. pag. 289.* qvibus id propugnat: *Dicendum*, inqvit, *in Hebræo Zachariæ* חמור *esse, qvod asinum significat, & masculinum est, nec aliter invenitur in sacris, nisi qvod 2. Sam. XIX, 26. in fæminino poni videtur, aliàs ubiqve citra controversiam asinum significat,* אתון *verò asinam. Seqvitur* ועל עיר & *super pullum filium asinarum, qvod ut scripturæ mos est, plenioris descriptionis & expositionis ergo adjicitur, ut hìc illud* ו *sicut alibi sæpè, exegeticum sit;* עיר *autem non tàm pullum pusillum, qvàm talem, qvi jam eqvitationi idoneus sit, significat, ut constat ex Judic. X, 4. & XII, 14. Sensus itaqve apud Zachariam planus est: Venit Rex tuus humilis eqvitans super asinum, super pullum inqvam asinarum: hoc enim ulterius describendo, additur, ut qvanta humilitas Regis sit, observetur. Eodem itaqve modo qvando apud Matthæum c. XXI, 5. è Propheta dicitur* ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου, *illud* ὄνον *in Masculino, non in fœminino accipiendum; sicut etiam Johannes simpliciter sensum reddidit: Ecce Rex tuus venit* καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου *sedens super*

Sententia *primæ* affirmantium posteriùs, sed cum παρεξηγήσει Zachariæ.

*pullum asinæ.* His consimilia habent Jo. Vorstius *part. I. Philol. Sacr.*
*c. XV. p. 381.* Alphon. Salmero. *Tom. VI. Commentarior. suor. in Evan-*
*gel. & Acta, tract. XLVII. fol. 292.* Hugo Grot. *Annot. in h. l. Zach. fol.*
*635.* Qvæ qvidem interpretatio benè congruit idiotismo Lingvæ
Sanctæ, cui usus tàm præfixi Hebraici ו qvàm voculæ Græcæ καὶ,
in sensu exegetico freqvens est, prout Drusius *lib. II. de literis Mo-*
*schevechaleb c. IV. p. 29.* & Glassius *l. IV. Philol. Sacr. tr. I. p. 691. 692. (878.*
*879.)* docent, & poterunt videri loca ex V. T. *Gen. XIV, 23. XXXV,*
*12. Lev. V, 1. Numer. XIII, 19. XXXI, 6. Deut. V, 16. Esaiæ LV, 1. Jer.*
*XXXIV, 21. &c.* Ex N. T. itidem *Matth. XIII, 41. Joh. X, 33. Rom. I,*
*5. Col. II. 8. &c.* nec aliter R. Dav. Kimchi *in Perusch Zachar. fol.*
*DCLXXXIIX. col. 1.* cum cæteris Judæis Evangelicâ luce destitutus
verba Zachariæ exponit: ועל עיר בן אתונות כפל הענין במ״ש
ועור זכר עיר שהוא קטן בשנים כי הוא הנבחר לרכוב
וכן אמר על בני אבצן רוכבים על שלשים עירים:
*His verbis: ET SUPER PULLO FILIO ASINARUM, Propheta*
*rem eandem, qvam voce* על חמור *SUPER ASINO, significaverat,*
*aliter solùm repetit; Explicat verò per* עיר *PULLUM, qvod asinum ad-*
*huc annis tenerum significat, qvòd talis ad vehendum præ cæteris sit ido-*
*neus, sicuti etiam de filiis Ebzani dicitur in libro Judicum, vectos fuisse*
*triginta pullis:* atqve hunc sine dubio prævium seqvuti sunt Tarnovi-
us *Comment. in Zach. h. l. p. 229.* & Coccejus *in eundem locum fol. 524.*
Observationes de illâ Vav exegeticum hîc agnoscentes. Sed locum hîc obtinere idioti-
smus ille non potest. Nam (1) qvod ex Prophetâ Matthæus *vers. 5.*
(1) sine articulo *ὄνον καὶ πῶλον* dixerat, id ipse non in seqventibus mo-
dò *vers. 7.* articulis additis per *τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον asinam & pul-*
*lum*, sed & in antecedentibus *v. 2.* cùm CHRISTI mandatum ad
discipulos recenset, per clarissimam asinæ à pullo distinctionem
interpretatur: *εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς, in-*
*venietis asinam alligatam & pullum cum eâ.* Hinc (2) infero: Qvod si-
(2) bi adduci mandavit CHRISTUS, & Discipuli mandatum ejus exe-
qvuti adduxerunt, id Zacharias per חמור ועיר h. e. ut Matth. ver-
tit, *ὄνον καὶ πῶλον* intellexit. Atqvi *ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ'*
*αὐτῆς, asinam alligatam & pullum cum eâ* adduci mandavit CHRI-
STUS, & Discipuli *τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον asinam & pullum* adduxe-
(3.) runt. Ergò. (3) Hebræum nomen חמור terminatione Masculi-
num

num eſt, ſed ex illorum numero, qvæ Grammaticis ἐπίκοινα dicuntur, & ſub terminatione Maſculini generis, ut alia animalium & volucrum nomina, tàm marem, qvàm fœminam ſignificat. Utut ergò Hebræi aſinam peculiari nomine אתון deſignent, ſolent tamen eandem qvoq; חמור dicere, utpote, qvod ſpeciei, non ſexus nomen eſt, & unus locus *2. Sam. XIX, v. 26.* ſi maximè plura non darentur, ſatis evincit, ubi Mephiboſeth ad Davidem: *Dixit ſervus tuus, ſternam mihi* החמור, num *aſinum*, an *aſinam?* Imò verò *aſinam*, ut LXX reddunt, τὴν ὄνον, (licèt in qvibusdam editionibus & τὸν ὄνον reperiatur) addit enim expreſſè: וארכב עליה *& vehar ſuper eâ.* Hinc R. Aben Melech *in Michlal Jophi h. l. fol. LXXII. col. 1.* בא לנקבה
בלשון זכר ולא שיהיה לשון זה נופל על זה אלא
יש בו דבר נסתר נופל וסמך הכתוב על המבין בהיות הדבר
ההוא מובן ממנו ופירוש וארכב עליה לפי שהחמור כולל
הזכר והנקבה המיוחדת בשמה אתון לפיכך אמר עליה
לפי שהיתה אתון וקראה חמור על דרך כלל:
Conf. R. Dav. Kimchi *in Peruſch h. l. fol. 352. col. 1.* & in *Schoraſchim fol. XL. col. 3.* Licèt igitur (4) verba Zachariæ ſic optimè fluant, ſi no- (4.)
men חמור Maſculinè, & præfixum ו exegeticè, exponas רוכב על חמור ועל עיר *eqvitans ſuper aſino, id eſt, ſuper pullo*, ut hæc ועל עיר per ἐπεξήγησιν prioribus addantur; nobis tamen clavem alterius interpretationis qvæ lingvæ genium non minùs ſeqvitur, ſuggerit Matthæus, Interpres Prophetæ infallibilis, qvâ nomen חמור fœmininè, & præfixum ו copulativè accipiendum cognoſcimus. Nec (5) ſatis eſt, (5.)
concedere qvidem, (oportet enim) aſinam ſimul & pullum adduxiſſe diſcipulos, ſed velle nihilominus arguere, Prophetam de alterutro ſolùm vaticinatum fuiſſe: Nam dum Evangeliſta utrumq; jumentum, aſinam & pullum tàm circumſpectè memorat vecturæ CHRISTI ſerviiſſe, prædictum ſanè inqvit *v. 4.* à Prophetâ id ita futurum, & prædictum non ex parte, ſed planè ita uti evenit: Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, *hoc autem* TOTUM (qvod de aſinâ & pullo adducendis narratur) *factum eſt, ut impleretur dictum per Prophetam.* Et qvid me (6) tandem moveat, ut ab eo tex- (6.)
tus ſenſu recedam, qvem non verba modò planiſſimè accepta offerunt, ſed & qvi complementum vaticinio exactiſſimè reſpondere docet?

*Sententia secunda affirmantium prius, limitatè.*

§. 27. Longè melior est *secunda* opinio, his præsertim tibicinibus, qvibus antecedentem destruximus, non parùm suffulta, qvæq; hodiè plerorumq; assensu gaudet, postqvam Patronum nacta est B. Gerhardum, immortaliter de Ecclesiâ promeritum, qvi eam latissimè propugnat *cap. CXLIV. Harmon. Evangel. p. 271. & seqq.* Nam cùm & Propheta de utroq; jumento, asinâ & pullo vaticinatus fuerit, & Matthæus memoret, non pullum modò, sed & asinam adduxisse discipulos, & ἐπάνω αὐτῶν *super illos* tùm vestimenta, tùm CHRISTUM ipsum posuisse, & verò fieri non potuerit, ut simul utraq; veheretur, per vices primùm asinam, deinde pullum conscendisse inqviunt, & qvia posterioris vectura magis CHRISTO placuerit, pulloq; adeò diutius, qvàm asinæ insederit, hinc factum ut cæteri Evangelistæ solius pulli meminerint, non item asinæ, qvam tamen propterea exclusam, aut vecturæ non adhibitam nolint. Huic interpretationi posteà singulare mysterium imponunt, qvasi asina oneribus adsveta Judaicum populum tot legum Mosaicarum & ceremoniarum jugo onustum, pullus verò indomitus populum gentilem, nullo hactenus legis onere pressum præfiguret, qvorum illi prius insederit CHRISTUS, ut prius sibi è Judæis Ecclesiam collecturum significaret, in qvorum tamen renuentium locum Gentiles mox esset surrogaturus. Ita è veteribus Theophylactus *Comm. in Matth. XXI. fol. 120. edit. Græco-Lat. Parisiens. A. 1631.* ὁ μὲν Λουκᾶς, inqvit, καὶ ὁ Μάρκος ὑποζύγιον μόνον εἶπον. Ματθαῖος δὲ ὄνον καὶ πῶλον, οὐκ ἐναντία λέγοντες. Ἀγομένῳ γὰρ τῷ πώλῳ συνηκολούθει καὶ ἡ μήτηρ. Ἐκάθισε δὲ ἐπάνω αὐτῶν, οὐχὶ τῶν δύο ὑποζυγίων, ἀλλὰ τῶν ἱματίων. Ἢ πρῶτον μὲν ἐκάθισεν ἐπὶ τῆς ὄνου, εἶτα καὶ ἐπὶ τοῦ πώλου. Ἐπεὶ καὶ πρῶτον ἐπανεπαύσατο τῇ τῶν Ἰουδαίων συναγωγῇ, εἶτα τῷ ἐξ ἐθνῶν λαῷ. *Lucas qvidem & Marcus subjugalem solum dixerunt, Matthæus autem asinam & pullum. Non dixerunt autem contraria: Ducentes enim pullum seqvuta est mater. Collocaverunt autem super illa: non super duo jumenta, sed super vestimenta. Aut primum qvidem sedit super asinam, posteà super pullum: qvia & primum qvievit in Judæorum Synagoga, deinde in Gentili populo.* Non inepta qvidem allegoria: uti nec ipsa textûs explicatio absurditatis insimulanda, qvam Theophylacto sex integris seculis antiqvior Augustinus *lib. II. de consensu Evangel. c. LXVI.* & ex recentioribus Liranus, Cajetanus,

nus, Osiander, Hunnius, Franzius *de Interpretation. Script. Orat. CXIII. p. 678.* Jansenius *Comm. in Matth. XXI. p. 249.* pluresq; alii tenent, ac Hieronymus Xaverius qvoq; historiæ CHRISTI, cujus jam suprà meminimus, Persicè conscriptæ & à Ludovico de Dieu cum latinâ translatione & animadversionibus ante hoc XXX. annos Lugduni Batavorum editæ *part. II. de miracul. & doctrina ejus p. 389.* inseruit: *Discipuli*, inqvit, *venerunt atq; ita fecerunt, & asinam pullumq; adduxerunt, & vestimenta sua superinjecerunt, eumq; rogarunt, ut ea conscenderet. Primùm asinam conscendit, tunc illum pullum, qvem nemo conscenderat.* Sed observamus interim seqventia: (1) Etsi Matthæus asinam & pullum adducta, & *pluraliter ILLIS* impositum scribit CHRISTUM, idemq; Zachariæ vaticinio confirmat; nullibi tamen ait, per vices, primùm asinæ, deinde pullo ipsum insedisse. Asinam eqvidem primo, & pullum secundo loco nominat, qvia voces non nisi successivè proferuntur, ut una alteram excipiat; sed qvòd primùm asinam conscenderit, & post emensum aliqvod viæ spatium descenderit rursus, ac pullo insederit, per vices adeò utroq; vectus, id saltem ita ratio in textum infert, qvòd impossibile videatur, in utroq; simul jumento eqvitasse. Licebit ergò (2) vicissim rationis attendere judicium, habitoq; respectu temporis & itineris conficiendi, qvod oppidò breve erat, impossibilitatem qvandam, si non Metaphysicam, at Moralem certè, obvertere; nisi singulare qvid ac memorandum huic vicissitudini & commutationi asinæ cum pullo subfuit. Tale autem (3) si fuisset, non id explicatiùs modò enarrasset Matthæus, sed nec reliqvi Evangelistæ prorsus vecturam asinæ tacuissent, qvi dum solius pulli, cui CHRISTUS insederit, mentionem faciunt, non qvidem negant, adductam cum pullo asinam, qvippe de qvâ ex Matthæi historiâ constare poterat; negant tamen hoc ipso, qvòd tacent, asinæ ipsum insedisse, nisi hoc similiter tot verbis indicet Matthæus; at non indicare, paulò pòst ostendemus. Adde (4) qvod hujusmodi asino CHRISTUS vehi voluit, ἐφ' ὃν ὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε, ut Marcus inqvit *c. XI, 2.* vel uti Lucas *c. XIX. v. 30.* ἐμφαλικοτέρως loqvitur, ἐφ' ὃν ὐδεὶς πώποτε ἀνθρώπων ἐκάθισε, *in qvo nemo unqvam hominum sedit*, perindè ut plaustro novo arca fœderis olim imposita reducebatur *1. Sam. VI. 7.* qvò referri potest, qvod de animalibus ad sacros usus adhiberi solitis, nempè injugi-

Observationes de illâ, (1.) (2.) (3.) (4.)

jugibus & humanis usibus nondum mancipatis, alibi docemus. Atqvi asina illa non sessores tantùm plurimos jam admiserat, sed & alios ibi, ubi alligata erat, porrò adhuc præstolabatur; pullus verò indomitus apud matrem consistebat, eamq; sine dubio interdum, si concederent, comitabatur viatoribus servientem. Asinam ergò servitio viatorum destinatam sibi CHRISTUS adduci jubet, non solam
(5). tamen, qvod aliàs sæpiùs fieri solebat, verùm unà cum pullo, qvo solo uti vectore intendebat. Præterea (5.) qvi utroq; per vices vectum consentiunt, dissentiunt ipsimet inter se circa ordinem, plerisq; asinæ vecturam, ut vidimus, præmittentibus pulli usuræ, Lirano contrà illam huic postponente, *qvasi primò sederit super pullum, deinde super asinam: Nam pullus,* inqvit, *erat indomitus, & proinde, qvia non benè tolerabat eqvitantem, ascendit posteà super asinam, qvæ domita erat.*
(6.) (6) Mystica significatio perqvàm sanè commoda est, sed nihil probat: Res enim ipsa aliundè probata præsupponitur, & ad textum, cujus ipsius qvoq; hæc præsupponitur interpretatio, accommodatur: ac valet hîc illud πολυθρύλλητον Rabbinorum; אין משיבין על־ הדרש אין מקשין באגדה *non faciunt solidum sensum ex mysticâ interpretatione, neq; argumentantur ex historiâ qvâdam è sensu Scripturæ mystico contextâ;* hoc est, qvod vulgò dicitur: *Theologia Symbolica & allegorica non est argumentativa.*

Sententia *tertia*, affirmantis prius absolutè ridicula.

§. 28. *Tertia* tandem opinio ridicula, & planè monstrosa est, qvalem qvidem haberi non vult, qvi primus, qvantum nobis cõstat, in scenam produxit, Petrus Kirstenius *not. ad Evangel. Matth. Arabicum fol. 96. 97.* miraculum hîc sibi fingens cum miraculo loqvelæ asinæ Bileami conferendum; sed reverà vix puerilius qvidqvàm excogitari poterat, qvàm dum *CHRISTUM* putat *corpore qvidem insedisse asinæ, pedes autem imposuisse tergo pulli comitantis matrem.* Ita nimirum non divaricatis, sed conjunctis cruribus fœminarum more CHRISTUS asinæ insedisset, discipulis ephippium veluti muliebre è suis vestibus, cùm illam sternerent, effigiantibus, pulloq; subicis aut pedanei vices subeunte. Er hätte also auff der Eselin gesessen/ als wenn er auff einem Quersattel ritte/ und wäre das Füllen zur Seiten der Steigbügel gewesen. Risum teneatis: *Nam præterqvam* inqvit, *qvod per se pulli ex affectibus naturalibus hoc facere soleant, cur dubitabimus tàm vilem creaturam Creatori non obediisse, placideq; pedes*

ejus

*ejus tergo gestasse? Certè qvibus hoc videbitur aut difficile, aut ridiculum, qvid ipsis eveniet de sermone asinæ Balaam Judic. XXII, 28?* Certè nobis id, non diffitemur, & difficile & ridiculum videri, & nihil adhuc dum evenire sentimus de sermone asinæ Balaam, qvem miraculo formatum constat, qvale hîc fingere nulla cogit necessitas.

§. 29. His ita præmissis dicimus, *utrumq; jumentum*, asinam putà & pullum, *CHRISTO adductum, sed uno saltem eorum vectum fuisse*, nempè *pullo, qvem ejus mater simul adducta, sessorem omnium primum admittentem, comitabatur*. Qvæ assertio nostra Hebraismo in Historia Matthæi cum reliqvorum Evangelistarum narrationibus diligenter conferendâ adhibito nititur, in cujus fidem seqventes ordine observationes attendi volumus. (1) Nihil Hebræis familiarius est, qvàm ita loqvi, ut pluralem pro uno ex pluribus, per ellipsin nominis distributivi אחד *unus*, אחת *una*, tunc semper sub intelligendi, ponant: cujusmodi exemplũ in hoc ipso Zachariæ vaticinio manifestum conspicimus, cùm pullus, qvi certè à pluribus asinabus nasci non potuit, בן אתונות *filius asinarum* dicitur, רוצה לומר *hoc est*, inqvit Glossa R. Dav. Kimchii *fol. DCLXXXIIX. col. 1.* בן אחת האתונות *filius unius asinarum*, וכן ויקבר בערי גלעד באחת מערי גלעד *qvemadmodum & de Jephtha dicitur* Jud. XII, 7. *& sepultus est iu urbibus Gilead, h. e. in unâ ex urbibus Gilead:* qvæ cùm tot verbis repeteret R. Aben Melech *in Michlal Jophi fol. CLXI. col. 1.* clarioris interpretationis ergò præmittit: בא לשון רבים על יחיד *Pluralis ponitur pro Singulari.* Atq; hæc eadem utriusq; ad citatum Judicum locum glossa est, Kimchii *fol. CCLXXIIX. col. 2.* Aben-Melechi *fol. LVII. col. 1.* Sic *Jon. I, 5.* Jonas dicitur descendisse אל ירכתי הספינה *ad latera navis*, ubi iterum Kimchi *fol. DCLXV. col. 2.* & Michlal Jophi *fol. CLI. col. 2.* בא לשון רבים על יחיד כי פירוש אל ירכתי הספינה אל אחרת מן הירכתים וכן ויקבר בערי גלעד ועל עיר בן אתונות: *Pluralis ponitur pro singulari, adeoq; sensus verborum: AD LATERA NAVIS, est hic: AD UNUM EX LATERIBUS: qvemadmodum Judicum c. XII, 7. dicitur: Et sepultus est in URBIBUS GILEAD: item* Zach. IX, 9. *& super pullo, filio ASINARUM.* Iterum uterq; ad *Psal. XIX, 5.* Kimchi *edit. Venet. qvæ non numeratis paginis Anno 1518. Bombergii opera in fol. prodiit.* Michlal Jophi *fol. CLXVII. col. 4.* cùm Soli tabernaculum positum dicitur

Sententia *nostra* posterius asserens, sed citra vim verbis Zachariæ illatam.

Observationes de eâ

(1)

בהם *in eis*, orbibus nempè cœleſtibus, eundem canonem eodem illuſtratum exemplo repetunt: באמרו בהם רוצה לומר באחר מהם כמו ויקבר בערי גלעד *cùm dicit: IN ILLIS, dicere vult: IN UNO EX ILLIS, ad exemplum ejus: Et ſepultus eſt in urbibus Gilead.* Similiter R. Aben Eſra illud *Pſal. I, 3. fol. DCIIX. col. 1.* plantatus על פלגי מים *ad rivos aqvarum*, interpretatur, על אחת הפלגים *ad unum rivorum*, atq; ad citata loca *Jon. I, 5. Jud. XII, 7. Zach. IX, 9.* provocat. Conf. & Dn. D. Gejerum *in h. l. p. 9.* Tacemus exempla alia magno numero obvia. Videatur B. Glaſſius *lib. III. Philol. Sacr.*
(2) *tract. X. can. 27. p. 95. ſeqq. (444) ſeqq.* Hebraiſmum hunc (2) ſcriptores N. Teſtamenti, & inprimis Matthæus, ſuum freqventer fecére, ceu poſt B. Glaſſium *loc. cit.* Vorſtius *part. 1. de Hebraiſm. N. T. c. XV. p. 382. 383.* atq; alii luculenter oſtendunt. Nec enim, cùm de CHRISTO Pſeudoprophetæ clamant, *Matth. XXIV, 26.* Ecce, ἐν τοῖς ταμείοις *in penetralibus eſt*, aliter accipiendum, qvàm *in uno penetralium.* Sic idem Matthæus *c. XXVI, 8.* indignatos ſcribit τοὺς μαθητὰς *diſcipulos*, cùm fœminam qvandam ungventum pretioſum in caput CHRISTI effundere viderent, qvod tamen Johannes *c. XII, 4.* ἕνα ἐκ τῶν μαθητῶν, *unum ex diſcipulis* interpretatur: cumq; iterum *c. XXVII, 44.* τοὺς λῃστὰς τοὺς συσταυρωθέντας Χριστῷ *latrones cum CHRISTO unà crucifixos* convitiatos dixiſſet, ſaltem de uno exponit Lucas *c. XXIII. 39.* εἷς δὲ τῶν κρεμασθέντων κακούργων ἐβλασφήμει αὐτὸν, *unus autem ſuſpenſorum facinoroſorum blaſphemabat eum.* Et plura id
(3) genus exempla paſſim leguntur. Atq; huc (3) præſentem qvoq; locum, qvando Matthæus duo jumenta ad CHRISTUM adducta, eumq; ἐπάνω αὐτῶν *ſuper illis* h. e. ſi juxta Hebraiſmum explicetur *ſuper uno illorum* ſediſſe aut collocatum fuiſſe ſcribit, referunt poſt Hieronymum, Euthymium, Toſtatum, Salmeronem, Bucerum, Bezam, (licèt eorum aliqvi primæ opinioni adhæreant) Glaſſius *part. I. Exegeſ. Evangel. Dom. I. Advent. p. 73.* Vorſtius *part. I. de Hebraiſm. N. T. c. 15. p. 382.* Ludov. de Dieu *Comm. in Matth. XXI. p. 88.* Hackſpanius *part. III. Notar. Phil. in diffic. ſcript. Loca p. 144.* qvanta inter Philologos nomina! qvorum tamen hîc autoritas ſola valere neqvit, contradicentibus non minoris autoritatis viris. Inqvirendum
(4) igitur (4) an vel difficultas aliqva, vel reliqvi Evangeliſtæ eandem hiſtoriam perſeqvuti de Hebraiſmo hic attendendo moneant? Ac

monet

monet utiq; difficultas, si CHRISTUM nec simul, nec ob breve temporis & viæ spacium per vices, utroq; potuisse vehi consideres: monent cæteri Evangelistæ, qvi omnes, ipse Johannes qvoq; qvibusdam adhuc ambiguus visus, uni tantùm, nempè *πώλῳ pullo*, vel, qvâ voce Johannes utitur, *ὀναρίῳ asello* insedisse scribunt: monènt illa omnia, qvæ ad removendam secundam opinionem paulò antè *§. 27.* observavimus. Imò id (5) prima omnium & antiqvissima versio Syriaca monet, qvam uti vel *alicujus ex Evangelistis, vel omninò illorum, qvi Antiochiæ habuerunt ipsos Apostolos præsentes, qvos de locis multis obscurioribus consulere & audire potuerunt*, esse censet Jacobus Martini *in præfat. edit. Trostian.* ita: *ad hanc solam*, inqvit, *qvando in fontibus Græcis qvædam occurrit obscuritas vel difficultas, tutò acceditur: hæc sola, qvando de loci alicujus interpretatione versioneq; dubium movetur, tutò ac sine errore consulitur: per hanc solam Græcus textus verè illustratur, rectè intelligitur: hujus enim solius autoritas proximè ad ipsorum fontium majestatem accedit.* Qvid ergò hæc? ita sanè Matthæi mentem exposuit, ut de sententiâ nostrâ dubitare prohibeat: (5)

ܘܐܝܬܝܘ ܠܐܬܢܐ ܘܠܥܝܠܐ ܘܣܡܘ ܥܠ
ܥܝܠܐ ܢܚܬܝܗܘܢ ܘܪܟܒ ܥܠܘܗܝ ܝܫܘܥ.

*Et adduxerunt asinum & pullum, & posuerunt super pullum vestimenta sua & insedit illi JESUS.* Vides utrumq; jumentum adductum, sed solum pullum vecturæ adhibitum. Qvod sicuti extra dubium nnnc (6) ponitur; ita ratio porrò investigenda, cur cæteri Evangelistæ nullam asinæ cum pullo præsentis mentionem fecerint? nempè qvia illud jumentum, cui CHRISTUS insedit, memorasse sufficiebat. Expectabat asina in vico, ubi alligata erat, viatorem, cui si abduceretur, serviret, vel relicto in stabulo pullo suo, vel si admitteretur, pullo stipata. CHRISTUS ergò utrumq; sibi afferri, &, si qværeret fortè possessor, qvid hoc esset, qvòd se inscio & sine præviis pactis aut conditionibus, cum qvibus aliàs, ceu suprà è Talmude vidimus, dimittere soleret asinam, abducerent, eamq; non solam, sed qvod rarò contingeret, unà cum pullo? respondere jubet: Dominus *αὐτῶν χρείαν ἔχει illis opus habet.* Qvæ cùm ita gesta essent, utrumq; possessor dimisit, licèt non aliter existimaret, qvàm Dominum asinâ velle vehi, pullumq; saltem ideò, ne diutius longiusve à Matre ab- (6)

esset, petere; sed nec Discipuli aliter sentiebant. At ille ex adductis solum sibi pullum, nullum hucusq;, ut Marcus & Lucas addunt, sessorem passum, vectorem elegit, admirantibus sine dubio discipulis & singulis qvi aderant: adeoq; hîc & *vulgare* qvidpiam, qvòd asino, & *singulare*, qvòd præsente asinâ ad hoc servitium sæpius admoveri solitâ, pullo tamen vecturæ nondum adsveto vehitur, concurrunt, qvorum utrumq; reliqvi Evangelistæ satis annotarunt, Matthæo interim adhuc plures illas, qvas recensuimus, circumstantias cumulante. Et hæc (7) clavis est, qvâ sensum vaticinii Zachariani reseramus, ne vel plus vel minus Prophetam fingamus prædixisse, qvàm eventus docuit. Asinam & pullum, duo numero distincta animalia, non unum per חמור ועיר ipsum intellexisse, ex iis clarum est, qvæ §. *26.* diximus; nec voluisse tamen propterea duos CHRISTO vectores tribuere, sed duos saltem indicare adducendos, è qvibus unum sibi electurus esset, ex modò dictis constat, è qvibus unà cognoscimus, qvod simul anteà qværebatur, *pullum* non *asinam* ipsum elegisse. Atq; sic optima Prophetæ, Matthæi & cœterorum Evangelistarum harmonia est.

Calumniæ Gentilium ὀνολατρείαν imputantium Judæis.

§. 30. Cæterùm dum hæc pro instituti ratione satis prolixè de asino Messiæ commentamur, venit in mentem suspicari: Annon hinc fortè ansam cæperint Gentiles *ὀνολατρείαν* seu *asini cultum* Judæis paritur & Christianis affingendi. Nam de Judæis notum illud Petronii *in Satyrico:*

*Judæus licèt & porcinum numen adoret,*
*Et* cilli *summas advocet auriculas.*

Ubi Amanuensium ignorantia pro *Cilli* vocem *Cæli* in plerisq; codd. substituit, qvæ lectio multum negotii glossatoribus facessit; sed Κίλλος ὄνος est, teste Hesychio, ut idem utriusq; asini & porci cultus à Petronio exprobretur Judæis, qvem Plutarchus *lib. IV. Symposiac. qvæst. 5. fol. 670. edit. Xylandr. Græco-Lat. Anno 1620.* ita junctim notat, cum verba Callistrati refert, qvibus Suem apud Judæos cultum probabat, interq; alia ad hunc qvoq; provocabat cultum asini: Καὶ ἴσως ἔχει λόγον, inqvit, ὡς τὸν ὄνον ἣ ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν, οὕτως καὶ τὴν ὗν σέβεσθαι σπόρου καὶ ἀρότου διδάσκαλον γεγομένην. *Et fortassè hoc rationi consentit, sicut asino suus est apud eos honor, qvi fontem aqvæ eis demonstravit: Ita Suem eos revereri,*

*revereri, ut sationis & arationis magistrum.* Nempè ut ambiguum erat, utrum illi ex veneratione, an verò odio & execratione à carne suillâ abstinerent: sic contrà certum hoc & extra dubium ponebat Callistrates, in cultu & honore asinum esse. Id enim magno consensu omnes veteres tradidisse, testatur Lipsius *not. ad lib. V. Hist. Tacit. fol. 54.* ac solent de eo loca Taciti *ex lib. V. Hist. fol. 329.* Democriti apud Suidam Ἰȣδας *fol. 403.* & imprimis Josephi *lib. II. contra Appion. cap. X.* passim ab Autoribus citari, qvorum ultimus in nobilem illum Grammaticum hoc nomine graviter invehitur, qvòd Judæis aureum asini caput in sacrario collocatum, cultum, & ab Antiocho Epiphane, cùm templum exspoliaret, repertum objecisset. Idem posteà opprobrium Christianos petiit, fuitq; inter ea, qvæ Cæcilius Octavio obvertebat apud Minutium Felicem *in Octavio fol. 6. Edit. Elmenhorst. A. 1612. Audio,* inqviebat, *eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum ineptâ nescio qvâ persvasione venerari: digna & nata religio talibus moribus.* De qvo cùm Tertullianus *in Apologetico c. XVI. fol. 63. Tom. I. edit. Parisiens. Caroli Moreau Augustiniani A. 1658.* conqvestus esset, somniasse gentiles, *caput asini esse DEUM nostrum,* nosqve idcircò inter cultores omnium pecudum bestiarumq; *Asinarios* vocandos, simulq; verba Taciti ex *qvintâ historiarũ* recensuisset, ibidem pariter & *lib. I. ad Nation. c. 14. fol. 354. citatæ editionis,* calumniam tersurus, *novam,* ait, *Romæ,* (hanc enim sine dubio per *istam Civitatem* utrobiqve intelligit) *Dei nostri editionem publicatam, ex qvo qvidam frustrandis bestiis mercenarius noxius,* (qvem altero in loco *suæ religionis desertorem,* & *solo detrimento cutis Judæum* nominat) picturam proposuisset, cum ejusmodi inscriptione: *DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES:* seu ut alii legunt, *ONONYCHITES: Is erat,* inqvit, *auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus.* Planè uti de Gnosticis Epiphanius, cùm *in Panario Hæres. XXV. f. 45. edit. Græc. Oporin. A. 1544.* & *f. 40. edit. Lat. Cornar. A. 1560.* dixisset: φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνȣ μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρȣ, *tradunt autem, Dominũ Sabaoth, alii asini formã habere, alii porci,* eosdẽ mox *f. seqq. 46. & 41.* qvibusdam interpositis è blasphemo eorum libro γέννα Μαρίας *stirps Mariæ* inscripto refert, confinxisse, qvasi DEUS sub asini forma Zachariæ in sanctuario apparuisset: εἶδε γὰρ, φάσιν, ἐν τῇ ὥρᾳ τȣ̃ θυμιάματος τινὰ, ὡς ἐθυμία, ἄνθρωπον ἑστῶτα ὄνȣ μορφὴν ἔχοντα

Christianis

τα. Καὶ ἐξελθόντος φασεὶ, καὶ θέλοντος εἰπεῖν, οὐαὶ ὑμῖν, τίνι προσκυνεῖτε; ἀπέφραξεν αὐτοῦ τὸ στόμα ὁ ὀφθεὶς αὐτῷ ἔνδον ἐν τῷ ναῷ, ἵνα μὴ δύνηται λαλῆσαι. Ὅτε ἠνοίγη τὸ στόμα αὐτοῦ, ἵνα λαλήσῃ, τότε ἀπεκάλυψεν αὐτοῖς, καὶ ἀπέκτειναν αὐτὸν. Καὶ οὕτως, φάσιν, ἀπέθανε Ζαχαρίας. *Vidit enim, inqviunt, in hora suffitus, cùm suffitum faceret, hominem qvendam stantem, asini formam habentem, & cum egressus esset, ac dicere vellet: Væ vobis, qvem adoratis? Obturavit ipsius os ille qvi visus est ab ipso in templo, ut loqvi non posset. Cùm verò aperiret os suum, ut loqveretur, tunc revelavit ipsis, & occiderunt ipsum, & sic mortuus est Zacharias.*

Natæ videntur â Vecturâ CHRISTI asininâ.

§. 31. Non eqvidem ignoramus, qvantum exercuerit hoc convitium in Judæos æqve ac Christianos ab Ethnicis sparsum Eruditorum ingenia, & qvàm diversum sapiant, qvi suas de illius origine & occasione conjecturas exposuerunt, Nic. Fullerus *lib. III. Miscell. Sacr. c. IIX. p. 322.* Gerh. Jo. Vossius *lib. III. de Orig. & progress. Idololatr. c. LXXV. p. 134. seqq.* Jo. Seldenus *syntagm. II. de Diis Syris c. XVII. p. 368. seqq. & lib. 3. de Jure Naturali & Gent. c. 1. fol. 135. edit. Londinens.* Cæsar Baronius *Tom. II. Annal. ad A. C. CCI. num. XXI. seqq. fol. 305. seqq.* Jo. Dallæus *lib. I. de religiosi cultûs objecto c. XIV. p. 154.* Sam. Bochardus *part. I. Hierozoic. lib. II. c. 18. fol. 220. seqq.* Matthias Zimmerman *Dissert. histor. Theol. ad Tertull. Apolog. c. 18. §. 119. p. 86. seqq.* Christ. Kortholt. *Diatrib. I. de Calumniis in Vett. Christianos sparsis num. III. p. 3. seqq.* aliiqve, qvorum ἀγχίνοιαν, qvâ qvisqve valuit, meritò suspicimus; sed dabitur tamen inter tot sententiarum divortia fortassis & nostræ huic non usqve adeò improbabili conjecturæ locus. Audiverant Gentiles aliqvid de Judæorum Rege & Servatore super asino adventuro, cumq; gaudio ab ipsis excipiendo: audiverant posteà Christianos non minùs gloriari de CHRISTI θεανθρώπου super asino in urbem Jerosolymam, imò in ipsum forsit usq; Templum ingressu. Qvemadmodum igitur aliàs ridere nos & eludere solebant, ὅτι ὁ Θεὸς τῶν χριστιανῶν, ὁ καλούμενος χριστὸς, εἰς ὀνάριον ἐκάθισε, *qvòd DEUS Christianorum, qvi CHRISTUS vocatur, in asello consederit,* teste Athanasio *in sermone super illud: πορεύθητε εἰς τὴν κώμην, Tom. III. Opp. f. 577. edit. Nannii Frobenianæ Basil. A. 1556.* ita facilè ipsum asini sessorem esse asinum calumniari potuerunt, & statuam DEI nunc caput asininum, nunc homi-

hominem auribus asininis referentem in Templi adyto, in qvod nemo intromittebatur, repositam fingere. Fidem conjecturæ facit alia ejusdem fabulæ enarratio apud Photium *in Myriobibl.n.CCXLIV. fol. 1150. edit. Græco-Latin. Rothomag. A. 1653.* qvi è Diodori Siculi *lib. XXXIV.* caput illud asini aureum, qvod Epiphanem in templi adytis reperisse fingebat apud Josephum Grammaticus Appion, in marmoream transformat statuam, qvæ hominem asino insidentem, barbâ promissa, & librum manibus tenentem repræsentasset. Ἀντίοχος, inqvit, ὁ προσαγορευθεὶς Ἐπιφανὴς, καταπολεμήσας τοὺς Ἰουδαίους, εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἄδυτον τοῦ θεοῦ συκὸν, οὐ νόμιμον εἰσιέναι μόνον τὸν ἱερέα. Εὑρὼν δὲ ἐν αὐτῷ λίθινον ἄγαλμα ἀνδρὸς βαθυπώγωνος, καθήμενον ἐπ' ὄνου, κατὰ χεῖρας ἔχον βιβλίον. Τοῦτο μὲν ὑπέλαβε Μωσέως εἶναι, τοῦ κτίσαντος τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ συστησαμένου τὸ ἔθνος, πρὸς δὲ τούτοις νομοθετήσαντος τὰ μισάνθρωπα παράνομα ἔθη τοῖς Ἰουδαίοις. h. e. ut Andr. Schottus vertit: *Antiochus dictus Epiphanes devictis Judæis intravit sancta sanctorum, adiit solis Sacerdotibus adeunda, & invenit ibidem lapideā statuam viri barbâ promißâ, tenentis manibus librum insidentisqve asino, qvam putabat Mosis esse, qvi urbem & condiderit, & gentem fundarit, & odiosas illas omnibus Gentibus leges tulerit.* Qvæ similiter, sed à Laurentio Rhodomanno aliter translata leguntur in Eclogis, qvas ille suæ Diodori Siculi editioni è Photii bibliothecâ annexuit *p. 1171.* & omninò ex hoc vaticinio Prophetæ contexta videntur, etsi Mosis statuam suspicatus dicatur Epiphanes. Nam, qvod in fabulis solet fieri, ut circa statuæ cū materiam tùm figuram variarunt, sic & ipsam qvidem statuam finxerunt pro DEO cultam, sed rationem ἀποθεώσεως aliam aliamqve reddiderunt. Hinc ne Plutarcho ac Tacito memorata cultûs causa de repertis ab asino aqvis obesse nobis poterit, qvam ut confictæ ex asinino Messiæ eqvitatu fabulæ adspergerent, aliunde confusis suo more diversis Hebræorum historiis arripuerunt. Qvi primus fabulæ autor fuit, is sine dubio Messiam Judæorum, inqvem sperarent, admiratus est advehendum asino, & tu traduceret apud suos invisam gentibus nationem, Judæorum DEUM dixit asino insidere. Porrò non ignota erant sacra, qvæ tàm solenniter, tàm sumptuosè, tantoqve cum splendore & apparatu fiebant in templo tribus secessibus & veluti palatiis inter-stin-

Unde calumniarum istarum varietas?

ſtincto, in qvorum exteriori, qvi ad reliqva ingreſſui patebat, ſacrificia incendebantur, in medio & lucernæ perpetuò ardebant, & panes menſæ aureæ impoſiti hebdomatim innovabantur, & ſuffimentum bis qvotidiè fiebat, in intimo tandē ipſe DEUS peculiari ratione præſens qvaſi in ſuâ camerâ ſedebat, rogatusqve de rebus dubiis dabat reſponſa: in qvod ne Sacerdotum qvidem ulli, niſi Summo ingredi licebat, idqve ſemel duntaxat qvotannis, ſanctisſimo illo expiationis feſto, cujus ſolennitatis fama non potuit non ad Gentiles pertingere. Qvemadmodum igitur deorum ſuorum ſimulacra in ſacratioribus templorum penetralibus repoſita venerabantur Ethnici: ſic in his templi Jeroſolymitani adytis Idolum DEI Judaici conſtitutum putabant. Sed qvale illud? DEUM Judæorum vehi aſino ridebant: Ergò ſtatuam fingebant *hominis aſino inſidentis* ibi collocatam eſſe, qvalem ab Antiocho viſam mentiebatur Diodorus. Exinde alii *hominem aſinino capite monſtroſum*, alii ſolum *caput aſini* efformarunt, atqve hinc varietas circa figuram ſimulacri aſinini nata eſt. Poſtqvàm verò arca fœderis cum propitiatorio & Cherubinis ex auro mundisſimo facta in ſancto ſanctorum, veluti thronus Divinæ gloriæ ac Majeſtatis collocata tantoperè celebrabatur à Judæis, ut omnem ejus memoriam clàm Ethnicos habere neqviverint, & verò ejus in ſecundo templo defectum lapis qvidam שתיה dictus, de qvo latè diſſerit Buxtorfius *in Hiſtor. Arcæ fœder. c. XII. p. 186. ſeqq.* creditus ſit ſuppleviſſe, inde illinc caput aſini *aureum*, hinc *lapideam* ſtatuam proveniſſe conjicimus. Qvæ qvidem ſic inter Gentiles inoleverant, ut aſinum Jeroſolymis in ſanctuario crederent adorari, occaſionis tamen, qvâ hæc opinio introducebatur, ignari, varias ſibi cauſas ὀνολατρείας Judaicæ excogitarent. Ita factum, ut qvi ex Simſonis fortè hiſtoriâ maxillam aſini inaudiverant ſitibundo Heroi aqvam ſuppeditaſſe *Jud. c. XV, 19.* aut ſi hæc minus placeat conjectura, nobis interim optima omnium viſa, qvi vocum qvarundam Hebraicarum vel ambiguitate, vel cum aliis cognatione decepti את הימן *Gen. XXXVI, 24.* h. e. *mulos* in *ſtagna*, vel אילים *Exod. XV, 25.* h. e. *campos* in ܥܝ̈ܠܐ *pullos aſininos* converterāt, Judæos hoc beneficio fingerent adeò obſtrictos aſino redditos, ut, qvod Ægyptii cumprimis, aliæqve gentes ſolebant, ἀποθεώσει illud remu-

remunerari, atqve asinum propterea inter deos relatum divinis afficiendum honoribus decrevissent. Atqve hoc eodem scommate Christianos postea, qvos è Judæis prognatos existimabant, qvasi *Asinarios*, sive *Asini cultores*, proseqvebantur, idqve cùm maximè, qvòd DEUM suum JESUM CHRISTUM, gloriarentur in asino eqvitasse.

§. 32. Qvanqvam verò hoc atrocis calumniæ labes erat, qvâ tàm Judæos, qvàm Christianos Ethnici non sine summâ utrorumq; injuriâ aspergebant, citra tamen injuriam Pontificiis hodiè cultum asini objicerimus, apud qvos cum seculo IX. iconolatria invaluisset, fuit qvidam *Claudius, natione Hispanus & Taurinensis Ecclesiæ Præsul*, qvi errorem illum debellaturus, absurditatem potissimùm σαυρολατρείας à cultu asini demonstrabat, qvi ex eâdem ratione, qvâ illum excusabant, seqveretur. Cujus qvidem scripta integra ad nostram memoriam non pervenerunt, Centuriatores tamen Magdeburgici è Jonæ Aurelianensis *tribus libris de cultu Imaginum*, qvos Claudio illi opposuit, sententiam ejus, & interdum verba excerpserunt, qvibus & hoc debemus è *Centuriâ IX. Hist. Eccles. c. V. fol. 220. & seqq.* qvod de hoc Claudii argumento novimus. Objiciebant iconolatræ, se tantùm ob recordationem adorare & venerari crucem, ad qvod Claudius: *Si omne lignum*, inqviebat, *schemate crucis factum, volunt adorare pro eo, qvòd CHRISTUS in Cruce pependit, & alia multa illis convenit, qvæ CHRISTUS egit per carnem.* Qvod cùm exemplis illustraret, adorandas sic esse puellas virgines, qvia virgo CHRISTUM pepererit, adoranda præsepia, qvia in præsepio jacuerit, adoranda id genus alia, qvæ attigerit, inter hæc etiam ad asinum defertur, qvo CHRISTUS vectus est: *Adorentur*, inqvit, *asini, qvia super asellum sedendo ad Hierosolymam usq; pervenit.* Nempè, ut maximè nulla crux ita ad vivum repræsentaret crucem CHRISTI, ceu nostri asini illum asellum, vix tamen vesanæ adeò mentis fore putabat Iconolatras, ut asinum idcircò, qvod CHRISTUS ei insedisset, venerarentur, unde nec crucis lignum adorandum inferebat, qvòd ejus, in qvo CHRISTUS pependit, figuram, qvam certò definire neqveamus, minùs adhuc exhiberet. Atverò, cùm nondum hodiè ab illâ crucis sanctæ veneratione desistant Pontificii, eodem fundamento, qvia CHRISTUS illam tetigerit, nixi, qveri de injuria non possunt, si qvis suspi-

Papistæ cultores asini.

suspicetur, asinum similiter apud ipsos in cultu & veneratione esse. Sed ne ex solâ conseqventiâ, cujus interim fortè conseqvens negent, ὀνολατρέιαν ipsis imputare videamur, reverâ eos *asini* non caput, sed *caudam* venerari compertum est, qvam de hoc CHRISTI asino inter reliqvias Genevæ asservasse, atqve religioso reliqviarum cultu proseqvutos fuisse, è libro qvodam Gallico, qvi longum reliqviarum catalogum texuit, à Nicolao Gallasio seculo superiori translato testatur Wolffius *in lectionibus memorabil. Centen. XVI. fol. 791.* Excusent id Papicolæ, ut velint, nunqvam tamen satis isthanc labem abstergent.

Cauda asini inter sanctas reliqvias ulta.

Processio diei Palmarum super asino.

§. 33. Huc simul referenda *Processio*, qvæ singulis annis Dominicâ Palmarum cum summâ lætitiâ & solennitate, ac maximo populorum concursu in terrâ sanctâ per viam, per qvam CHRISTUS ingressus est ex Oliveto in urbem, hodienum solet institui. Convocat Præsul sancti montis Zion fratres & peregrinos & omnes Christianos, qvi Jerosolymis habitant, ad locum, in qvo CHRISTUS creditur mandatum de adducendâ asinâ cum pullo discipulis dedisse. Comparent omnes, & in terrâ prostrati sacrum locum deosculantur. Posteà fusis ad DEUM precibus Præsul ad concionem vel de amore CHRISTI, vel de mundi contemptu, vel de viâ, qvâ ad gloriam & cœlestem Jerosolymam itur, vel de gloriâ ipsâ, vel deniqve de re aliâ, qvam loco, tempori & Auditoribus convenientissimam judicat, verba facit. Oratione finitâ Diaconus, sacris vestibus indutus, acceptâ â Præsule benedictione, populum salutat, & pericopam ex historiâ Matthæi Evangelicâ, isto die in Ecclesiâ cantari solitam, altâ voce præcinit: cumq; ad illa verba: *Tunc JESUS misit duos discipulos, dicens eis*, deventum est, confestim Præsul, Christi personam gerens, duobus fratribus, genubus coram ipso insistentibus atq; ad hoc in præsenti ordinatis: *Ite*, inqvit, *in Castellum, qvod contra vos, & statim invenietis asinam alligatam &c.* qvi continuò surgunt, atqve ad illum locum, ubi Castellum asinæ fuisse olim creditur, pergunt, Diacono interim reliqva Pericopæ Evangelicæ verba præcinente. Eò ubi pervenerunt, præparatum inveniunt asellum, qvem ad Præsulem ducunt, eumq; strato vestibus asino imponunt. Hic igitur in eo sedens per montem Olearum Jerosolymam pergit, ingenti fratrum aliorumq; Christianorum turbâ stipatus, qvorum maxima pars herbis, floribus

&

& palliis viam sternit, cantantibus simul omnibus solemnem huic diei antiphonam: *Pueri Hebræorum portantes ramos olivarum &c.* qvod jubilum continuatur, usq; dum ad locum pervenerunt, ubi CHRISTUS conjectis in civitatem oculis flevit, in cujus memoriam pericopa *Luc. XIX, 11. seqq.* de lacrymis CHRISTI decantatur. Hinc cœptum iter in urbem usq; prosequuntur. Intrat autem processio, civibus foràs, ut CHRISTI videant triumfum (sic enim vocant) confluentibus, cùm porta aurea muro clausa sit, per alteram montis Sion ad Ecclesiam S. Salvatoris, qvam Præsul peractis secundùm Processionis solemnia peragendis, relicto asello, cum comitatu suo ingreditur, & ante altare majus orationem dicit, qvâ finitâ populum, versâ ad ipsum facie, cum benedictione dimittit. Dimisso populo Præsul frugali prandio â fratribus parato recreatur. Qvæ omnia non refert modò, sed & in originem Processionis cũ tantâ solemnitate inter infideles permissæ latiùs inqvirit, αὐτόπτης Franciscus Qvaresmius, Terræ Sanctæ olim Præses *Tom. II. Elucid. Terræ S. lib. IV. Peregrinat. X. c. XI. & XII. fol. 333. & seqq.*

## תוספתא:

In gratiam illorum, qvi fortè mysticam interpretationem fabulæ de tribus Asini unius Dominis vel sessoribus, Abrahamo, Mose, & Messiâ desiderant, discursum R. Abarbanelis, cujus §. 17. aliqvam mentionem fecimus, excerpemus ex ejus *Perusch hattorah. fol. LXXV. col. 4. circa fin.*

ואמנם אמרו חמורו בכנוי אליו
יש לומר לפי הפשט שהין חמורים
הרבה בבית קצתם לרכוב עליהם
וקצתם לטעון ואברהם לא רצה
לחבוש אלא חמור אחר שהיה
מיוחד אליו כדי שלא יורגש
חסרונו בבית כי כל אחד
מהמשרתים יש לו בהמה מיוחדת
בבית לעבור עבודתו אותו יבקש
בכל יום ואמנם החמור המיוחד
לבעל הבית לא יבקשהו אדם
כי לא ישתמש בו· ולפי שהיה

Cæterùm, dum Scriptura ait, *Abrahamum stravisse* חמורו cum suffixo, Asinum SUUM, explicandum qvidem est juxta sensum literalem, qvòd plures qvidem domi habuerit asinos, qvibus partim ad eqvitandum, partim ad bajulandum onera usus fuerit, nunc autem noluerit Abrahamus sternere alium, qvàm unicum illum asinum, qvem sibi proprium & peculiarem alebat, cujus qvippe defectus non conveniret esse in domo. Nam cùm unicuiq; ministrantium in domo suum assignatum sit jumentum, qvo veluti sibi proprio servitium suum obeat, qværere illud solet qvotidiè; at illum contrà asinum, qvi Patris familias peculiaris & proprius est, nemo qværit, siqvidem cum eo non serviat. Interim qvia in hâc ipsâ actione Abraha-

אברהם בזה כובש את יצרו ומבטל טבע החמר ראו החכמים ז"ל ע"ה המליצה לדרוש ויחבוש את חמורו שחבש והכניע את החומר והיצר שלו כי בזה יוכל ללכת אל המקום אשר אמר לו האלהים· ולפי שהיה אברהם התחלה בשלמות אומתנו ומשה רבינו בנתינת התורה שנתנה ע"י משלים אמלתי לפסוק מהם זוהמה של נחש ומלך המשיח יהיה תכלית כל הטוב המיוחד לכן אמרו רבותינו ז"ל במליצתם שזה החמור בעצמו שחבש אברהם הוא אשר רכב עליו משה הוא אשר ירכב עליו מלך המשיח ז"ל שאותו החומר שהכניע אברהם תחת שכלו הכניע גם כן משה רבינו בקבול התורה והכניע גם כן מלך המשיח לתתנו שלמים בתכלית השלמות וזכרו אלה הג' אברהם ומשה ומשיח להיותם ראש ואמצעי ותכלית לשלמות אומתנו:

hamus concupiſcentiã ſuam ſubegit, & naturam (החמר) materiæ impedivit, viſum fuit Sapientibus noſtris fauſtæ memoriæ per eruditum qvendam luſum (*ex affinitate vocum* חמור *aſinus &* חומר *materia natum*) locum ſic exponere, qvaſi verba hæc: ויחבוש את חמורו & frænum injecit aſino ſuo; (*voce* חמור *cum* חומר *permutatâ*) deſignent, qvòd frænaverit & ſubegerit materiam & concupiſcentiam illi inhærentem: qvippe per qvod demum poſſet proficiſci ad illum locum, qvem Deus ei indicaverat. Porrò cùm Abrahamus fuerit initium in perfectione nationis noſtræ, Moſes verò Magiſter noſter, dum legem ſuo miniſterio datam tradidit, perfecerit verè ad aufferendum ab illis inqvinamentum ſerpentis, (*reſpicit ad illud in Maſſech. Joma fol. XXIIX. col. 2.* בשעה שבא נחש על חוה הטיל בה זוהמא *eá horâ, qvâ cum Evâ congreſſus eſt ſerpens, injecit in eam inqvinamentum;*) tandem verò Rex Meſſias futurus ſit finis omnis boni cuilibet proprii: idcircò dixerunt in mythicâ hâc narratione ſuâ Rabbini noſtri felicis memoriæ, hunc eſſe ipſummet illum (החמור) aſinum, qvem frænavit ac ſtravit Abrahamus, eſſe ipſummet illum, cui inſedit Moſes, eſſe ipſummet illum, cui aliqvando etiam Rex Meſſias inſidebit, qvaſi dixiſſent, eandem (החומר) materiam, qvam Abrahamus ſubegit ſub intellectum ſuum, ſubegiſſe conſimiliter Moſen Magiſtrum noſtrum, cùm acciperet legem, & ſubacturum non aliter Regem Meſſiam ad conferendam nobis beatitudinem in fine perfectionis. Meminerunt autem horum trium ſolùm, Abrahami, Moſis, & Meſſiæ, qvòd hi tres ſint ille qvidem initium, iſte medium, hic finis perfectionis nationis noſtræ.

בילא"ו

00564748 5

